

SACRA RITUUM CONGREGATIONE

E.MO AC R.MO DOMINO

CARD. I. GRANITO PIGNATELLI DI BELMONTE

RELATORE

ORDINIS MINORUM

CONFIRMATIONIS CULTUS

AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI

SERVO DEI

IOANNI DUNS SCOTO

Sacerdoti professo Ordinis Minorum

Beato et Sancto nuncupato

POSITIO

SUPER SCRIPTIS



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA IN INSTITUTO PII IX

(IUVENUM OPIFICUM A S. IOSEPH)

1920


The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto, Ontario

ORDINIS MINORUM

CONFIRMATIONIS CULTUS
AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI

SERVO DEI

IOANNI DUNS SCOTO
Sacerdoti professo Ordinis Minorum

Beato et Sancto nuncupato

ADNOTATIONES
R. P. D. PROMOTORIS FIDEI

SUPER REVISIONE SCRIPTORUM

E.ME AC R.ME DOMINE,

Universa Franciscalis familia haud immerito gloriatur de sodali suo Ioanne Duns Scoto, qui ob ingenii sagacitatem, doctrinae praestantiam pietatisque, praesertim in Virginem Immaculatam, ardorem, tantam nactus est celebritatem, ut Doctoris subtilis ac Mariani elogio, una cum Sancti et Beati titulo, passim honestaretur. Quapropter de caelitum honoribus, quos ab omni antiquitate eidem delatos esse tradunt, ab Apostolica Sede confirmandis iudicium instituere quam maxime cupiunt totius religiosae familiae moderatores aeque ac sodales omnes; atque, ut id facilius assequantur, de eius scriptis quamlibet quaestionem dirimi obsequenter

exposcunt. Quum enim haec expendendi munus selectis duobus creditum fuerit theologis, quorum alter alteri erat ignotus, et quisque sacramento obstrictus opera cuncta typis edita sedulo examini subiecerit suamque super iisdem sententiam protulerit, in comitiis die septima vertentis mensis et anni habitis, animadversionibus inspectis ab utroque theologo propositis, Patres Emi consultius duxerunt, suum de re iudicium differre ac theologorum animadversiones causae Actoribus communicare. Quod igitur ab hoc sacro Ordine in mandatis habui, fideli calamo exequor censorumque lucubrationes in lucem profero, nihil dempto vel addito. Videant itaque causae Actores atque singula religiose perpendant, quae eruditissimis censoribus notatione digna visa sunt, omnemque diligentiam ad eadem explananda penitusque diluenda impendant, adeo ut nihil supersit, quod in catholico et eximio scriptore ad altarium honores provehendo iure valeat reprehendi.

Iudicium primi Theologi Censoris

Eminentissime Princeps,

Ad munus implendum quod Em. V. simul ac S. Rituum Congregatio mihi commiserunt de examine Scriptorum Servi Dei Ioannis Duns Scoti, praestito iuramento coram ipsius S. Congregationis Cancellario, integra opera mihi tradita (quae 26 Voluminibus Editionis Vives Parisiensis continentur) maiori qua potui diligentia perlegi ad normam praescriptionum Benedicti XIV.

Exitus huius revisionis potest sequenti iudicio sic breviter exhiberi.

Iudicium generale. — Existimo in animo Servi Dei Ioannis Duns Scoti non fuisse aliquid contra fidem vel mores asserere, imo ex his quae dicam infra oppositum apparet; sed dum relationes investigavit mysteria inter et postulata rationis humanae, theologiam inter et philosophiam, quasdam doctrinas protulisse quae haud facile cum doctrina Ecclesiae conciliari possunt. Hoc iudicium moderatione debita gaudere ac obiectiva veritate niti ostendere oportet, plura ob oculos ponendo quae ex operibus habentur, ac necessarias animadversiones et obvias exarando.

I. **Circa Deum.**

1. *Vol. 2. pag. 550 2.a col.* docet, corpus coeleste habere causam conservantem non vero efficientem. Ibidem p. 660 docet, possibilitatem alicuius corporis *actu infiniti* considerando potentiam activam infinitam Dei.
2. *Vol. 3. p. 411.* — Motor aeternus et immutabilis non potest movere nisi circulariter..... Mobile immediatum illi motori debet esse impassibile.
3. *Vol. 3. p. 442.* — Primus motor et ens independens ab alio potest esse coelum praeter Deum, cuius (Dei) existentiam probat tantum consensus generis humani et necessitas humanae communicationis.
4. *Vol. 4. p. 16-17.* — Impossibile est Deum regere mundum immediate secundum philosophos, potest tamen secundum fidem.
5. *Vol, 5. p. 238.* — In Deo existit realis compositio ex realibus relationibus, et hoc ante opus intellectus — licet in aliis operibus veritatem manifeste doceat.
6. *Vol. 5. Collatio 36 et vol. 9 p. 665*, docet in Deo distingui realiter essentiam ab attributis, et attributa ad invicem, distinctione quae non est rationis sed ex rei natura, ante operationem intellectus — quod arguit compositionem in Deo.
7. *Vol. 5. p. 355.* — Intellectus et voluntas in Deo non sunt totaliter idem, et nihilominus non distinguuntur aliqualiter — quod apparet contradictorium.
8. *Vol. 8. p. 463, 498; Vol. 10. p. 714; Vol. 22. p. 483* docet, omnipotentiam Dei non posse ratione naturali demonstrari, nec argui ex potentia infinita, unde creditur tantum.
9. *Vol. 25. p. 300, 301* — « Demonstratione *quia* non potest demonstrari Deum sic esse omnipotentem quod sine quocumque alio agente possit causare quodlibet causabile ».

10. *Vol. 15. p. 844.* — Illud praeceptum — Diliges Dominum Deum tuum — non est simpliciter de lege naturae in quantum est affirmativum, sed in quantum est negativum prohibens oppositum.
11. *Vol. 22. p. 466.* — « Non videtur mihi quod possit demonstrative probari Deum esse ubique per essentiam, sed ipsum est tantum mihi creditum et non probatum ».

Haec omnia, ni fallor, videbuntur statim vel parum ortodoxa, vel erronea, vel periculosa, vel male sonantia.

II. Circa Trinitatem.

12. *Vol. 5. p. 271* docet : « In essentia tantum est ratio formalis respectu productionis : Si per impossibile Pater prius non intelligeret, nihilominus produceret Filium ». Quod non videtur possibile Verbum produci a non intelligente.
13. *Vol. 8. p. 321.* — « De potentia absoluta Dei non video contradictionem quin possibile sit quod actus intellectus et voluntatis (beati) terminet essentia et non persona, vel una persona et non alia, puta quod intellectus videat essentiam et non personam, vel unam personam et non aliam, et quod voluntas fruatur essentia non persona, vel una persona et non alia ».
14. *Vol. 23. p. 228.* — « Possibile est quod actualiter quis peccet in unam personam, non peccando actualiter in aliam ».
15. *Vol. 9. p. 509 ; Vol. 22. p. 141 et seqq.* videtur docere processiones divinas ad intra voluntarias esse : « Pater generat volens non tantum voluntate consequente, sed voluntate antecedente ».
16. *Vol. 9. p. 835-843 ; Vol. 22. p. 187.* — Si Spiritus Sanctus non procederet a Filio posset distingui ab ipso sicut nunc distinguitur ». Hoc non est verum.

17. *Vol. 5. p. 184.* — Videtur docere rationem humanam posse naturaliter cognoscere mysterium Trinitatis, licet alibi aliter dicat.

III. Circa gratiam.

18. « Ad videndum Deum intuitive non requiritur lumen additum humano intellectui ». Hoc est contra doctrinam Ecclesiae. *Vol. 5. p. 187 et seqq.* — *Vol. 14. p. 797* — *Vol. 21. p. 118* — *Vol. 24. p. 674.*
19. *Vol. 10. p. 90* docet, Deum potuisse de potentia absoluta acceptare naturam humanam beatificabilem existentem in puris naturalibus et actum eius ut *meritorium* vitae eternae. — Videtur repugnare.
20. Culpa et gratia non immediate opponuntur (*Vol. 13. p. 260*) nec peccatum est *formaliter privatio gratiae, quem non ex incompossibilibus destruit*, sed ut demeritum. *Vol. 13. p. 360* — *Vol. 23. p. 181, 182.*
21. *Vol. 16. p. 209; Vol. 23. p. 562.* — « De potentia absoluta Deus posset dimittere culpam originalem non conferendo gratiam et hoc maxime cum gratia non opponatur formaliter peccato originali, nec modo dimittatur peccatum illud per collationem gratiae, nisi quia gratia in acceptione divina includit aequivalentem iustitiam originalem, quae formaliter opponitur peccato originali ».
22. *Vol. 23. p. 544.* — « Posset Deus sine contradictione creare gratiam in diabolo aut in anima existente in peccato mortali, quia non est inter peccatum mortale et gratiam formalis repugnantia ».
23. *Vol. 14. p. 171.* — « Appetitus naturalis cuiuscumque voluntatis est ad summam gratiam et gloriam ».

Vol. 21. p. 305. — « Per rationem naturalem potest probari naturam humanam esse capacem beatitudinis verae ».

Vol. 21. p. 404; Vol. 24. p. 673. — « Natura humana ex puris naturalibus est immediatum susceptivum beatitudinis ». Et quamvis alibi doceat oppositum,

tamen *Vol. 18. p. 75* videtur dicere hominem posse se praeparare ad gratiam ex naturalibus. — Quae omnia excludunt lumen gloriae et enervant necessitatem et valorem gratiae supernaturalis.

24. *Vol. 18. p. 474.* — Negat *remissionem culpae* esse realem mutationem in anima et videtur conceptualista circa naturam peccati. Insuper *Vol. 16. p. 491* dicit « peccatum non est formaliter privatio gratiae... et ex hoc patet quod inductio gratiae et cuiuslibet virtutis non est formaliter expulsio culpae ».

25. *Vol. 26. p. 211.* — « Actus naturalis et actus meritorius non differunt specie, sed tantum per accidens ». Habeo ut falsum.

26. *Vol. 22. p. 206.* — « Deus de potentia absoluta non necessitatur ut infundat charitatem informantem animam ad hoc ut iustificet impium » et potest « remittere culpam sine gratia, de potentia absoluta ». *Vol. 23. p. 292.*

27. *Vol. 23. p. 197.* — « Deus potest cooperari ad actum non cooperando ad rectitudinem eius, de potentia absoluta ».

28. *Vol. 23. p. 491.* — « Non est contradictio quod aliquis habeat charitatem cum odio proximi ».

IV. **Circa Sacramenta.**

29. A Scoto nimis enervatur afficacia Sacramentorum ita ut doctrina ipsius quoad hoc vocetur communiter *occasionalismus* Sacramentalis, qui convenire non potest cum causalitate ex opere operato. « Sacramentum vel susceptio Sacramenti est dispositio immediata ad gratiam, dispositio necessitans ad effectum signatum per Sacramentum non quidem per aliquam formam intrinsecam, vel per aliquam dispositionem praeviam, sed tantum per *assistentiam* Dei causantis illum effectum ». *Vol. 16. p. 167.* Ita ut « Sacramentum proprie dicatur dispositio activa naturalis respectu gratiae ». *Vol. 23. p. 555.*

« Sacramenta non dant gratiam, nec ab eis est gratia, sed a Deo per ipsa ». *Vol. 23. p. 556.*

30. *Vol. 23. p. 556.* — « Sacramenta Veteris Legis differunt a Sacramentis Novae Legis per dare maiorem gratiam et minorem gratiam ». Quod a vero manifeste recedit.

31. *Vol. 23. p. 543.* — A Scoto docetur gratiam creari in anima et quia nulla creatura cooperari potest ad creationem ideo nec Sacramenta ad collationem gratiae. In qua theoria latet confusio conceptuum theologicorum et non recte videtur tradi theologia Sacramentalis.

32. *Vol. 16. p. 489.* — « Crederem religiose fieri si ipsi parentes cogerentur *minis* et *terroribus* ad suscipiendum baptismum et ad conservandum postea susceptum... »

33. *Vol. 2. p. 389, 390.* — « Impossibile est accidens separari a suo subiecto. Per miraculum eucharisticum mutatur natura accidentis ac si natura humana mutaretur in naturam asininam ».

Vol. 2. p. 399. — « Quantitas est dispositio inhaerens substantiae, quam dispositionem esse separatam a substantia implicat contradictionem ». Supposita hac doctrina in discrimen ponitur explicatio mysterii transustantiationis.

34. *Vol. 17. p. 173.* — « Praesentia corporis Christi non habetur per se per illam mutationem quae est conversio vel transustantiatio, sed solum substantia corporis Christi, quae non est sua praesentia ».

« Necesse est ponere aliquam mutationem in corpore Christi acquisitivam praesentiae novae ». *Vol. 17. p. 178.*

Vol. 21. p. 120. — « Substantia panis transustantiari in corpus Christi non propter rationes dictas quae non cogunt, sed propter auctoritatem Ecclesiae ».

Vol. 17. p. 353, 376. — docet transustantiationem non probari ex Sacra Scriptura, sed tantum ex auctoritate Ecclesiae.

35. *Vol. 21. p. 125.* — docet « terminum primum con-

versionis esse aliquod compositum ex materia et forma substantiali non (rationali) intellectiva » Ex quo sequitur panem non converti directe in corpus humanum.

36. *Vol. 17. p. 67.* — Videtur male explicare valorem formae Sacramenti eucharistici. « In ultimo instanti prolationis primo secundum ordinem naturae est conceptus propositionis ut neuter ; secundo ad illum sequitur operatio divina causans illud quod significat omnino ; tertio sequitur veritas huius conceptus ».

37. *Vol. 24. p. 17 ; Vol. 17. p. 43.* — Cum non habemus formulam traditam a Christo (relate ad consecrationem vini) esset dubium an aliquis utens forma consecrationis posita in aliquo Evangelio peccaret, et aliquid faceret ».

38. « Offertur hostia non consecrata et tunc est Sacrificium non Sacramentum ». *Vol. 17. p. 699.* « Missa non aequivalet Passioni Christi, licet specialius valeat pro quanto ibi est specialior commemoratio oblationis quam Christus obtulit in cruce. *Vol. 17. p. 321.* Videtur negare valorem absolutum Sacrificii Missae.

39. *Vol. 18. p. 547.* — « Poenitens qui renuit acceptare poenitentiam a Confessario potest absolvi ».

V. **Circa Christum.**

40. Licet Scotus declaraverit « in commendando Christum malo excedere quam deficere a laude sibi debita, si propter ignorantiam oporteat in alterum incidere » (*Vol. 14. p. 463*), tamen denegat gratiam unionis dicens : Suppositum autem divinum ex hoc quod terminat istam unionem, nullam perfectionem absolutam ponit in anima Christi » *Vol. 23. p. 394.*

41. Insuper docet Christum ex vi unionis hypostaticae non fuisse impeccabilem, ex potentia extraordinaria Dei. *Vol. 14. p. 124, 440.*

« Dico quod ex vi unionis non redditur natura (assumpta) impeccabilis ». *Vol. 23. p. 327.*

42. *Vol. 14. p. 718, 719.* — « Quantum ad sufficientiam dico quod meritum Christi fuit *finitum*, quia a principio finito essentialiter dependens, etiam accipiendo ipsum cum omnibus respectibus sive ad suppositum Verbi, sive ad finem, quia omnes isti erant finiti, et ideo quomodocumque circumstantionatum finitum erat ».

43. *Vol. 14. p. 178.* — « Passio Christi fuit bonum finitum, etiam accepta secundum totam rationem meriti, nec acceptatur a Deo infinite ex parte obiecti ».

VI. Circa animam humanam.

44. Aperte docet in anima et in Angelo inveniri materiam, non tantum ex sententia Philosophi sed etiam ex propria (*Vol. 2. p. 353 et seqq.; Vol. 4. p. 352 et seqq.*), « ita ut anima, ex materia et forma composita, sit forma corporis ». *Vol. 4. p. 363.* Quod ista materia sit spiritualis vel non et an possit reduci sententia Scoti ad theoriam de actu et potentia in quolibet ente creato, non apparet.

45. *Vol. 4. p. 533.* — « Non nego quin relatio possit fundari immediate in substantia etiam in creaturis, paternitas enim fundatur immediate in potentia generativa Patris, *quae est idem essentialiter cum anima*, et per consequens est substantia ».

46. Tenet « voluntatem posse non velle finem ultimum quocumque modo apprehensum, obscure sive clare, in universali sive in particulari ». *Vol. 8. p. 361 — Vol. 5. Collatio 17.*

47. *Vol. 8. p. 371.* — « Voluntas non elevata supernaturaliter potest frui fine ultimo clare viso ».

48. Docet pluries, non posse probari animam humanam esse creatam sicut non posse probari animam esse

immortalem. *Vol. 13, p. 66.* — *Vol. 23, p. 79.* — *Vol. 20, p. 46 et seqq.* — *Vol. 24, p. 499.*

49. *Vol. 21. p. 441.* — « Beatitudo est causa immortalitatis in anima ».

Ex his quae docet *vol. 7, p. 559, vol. 23, p. 77* videtur negare saltem ex consequenti distinctionem intellectus inter et voluntatem.

VII. **Circa valorem rationis.**

50. Dum *vol. 5, p. 330* videtur tentare naturalem demonstrationem mysterii SSmae Trinitatis, alibi se prodit in multis manifeste agnosticum. Relate ad substantias docet, « nos habere habitum vocalem sicut caecus natus sillogizzat de coloribus, quia nec ipsa genera intelligimus nisi ens ». *Vol. 7, p. 114.*

51. « Non potest probari Deum esse vivum, esse sapientem vel intelligentem, esse volentem, habere aliquam operationem manentem in se ». *Vol. 5, p. 39.*

52. « Non potest probari animam esse immortalem, hominen esse ordinatum ad aliquam beatitudinem in hac vita non attingibilem ». *Vol 5. p. 41.*

« Non potest probari necessitas coniugii ». *Vol. 5, p. 43.*

53. « Non potest probari Deum esse necessarium ad conservationem naturae creatae in esse, nec coagere omni causae secundae aliqua actione propria sibi ». *Vol. 5, p. 55.*

54. « Non potest probari Deum esse ubique secundum essentiam, nec posse aliquid immediate producecere, nisi tantum unum effectum primum (*V. p. 55*), nec quod aliquid possit extra istum ordinem causarum, nec esse immutabilem et immobilem, nec carere magnitudine, nec carere omni accidente, nec carere partibus essentialibus, nec esse infinitum intensive ». *Vol. 5, p. 56, 57.*

55. Quod si intelligatur de demonstratione theologica

tunc multa negaret quae dogmatica sunt, et multa alia falsa deberent notari in isto libro qui inscribitur — *Theoremata*.

VIII. **Circa S. Scripturam.**

56. *Vol. 5, p. 405.* « Liber Iudith, Tobiae Sapientiae, Ecclesiastici, Machabaeorum non sunt de canone, approbati sunt ad legendum in Ecclesia, ad morum informationem non autem ad dubiorum confirmationem vel determinationem ».

Tamen recognoscit Ecclesiae auctoritatem determinandi quinam libri authentici sint habendi. *Vol. 9, p. 455.*

IX. **Circa doctinam moralem.**

57. « Iste actus (procreatio prolis) non est de se malus, nec de se est sufficienter bonus bonitate morali, quia nullus actus est sufficienter bonus moraliter, ex ratione agentis vel obiecti, nisi amare Deum ». *Vol. 19 p. 148.* — *Vol. 24 p. 376-377.*

58. *Vol. 21, p. 537.* « Circa creaturam non est peccatum mortale ex genere, sed tantum ex praecepto. — Habere non suam non est peccatum nisi ex circumstantia, non est actus simpliciter malus, sed circumstantionatus, non autem ex genere actus ».

59. *Vol. 24 p. 203-204.* « Videtur concipere peccatum nominalistice, docens « in anima non remanere maculam cessante actu peccati... nec aliquid privativum, sed tantum quaedam relatio rationis ».

X. **Circa servitutem.**

60. *Vol. 19, p. 161.* « Potest quis se vendere in servum, in qua venditione ita transfert potestatem sui corporis in alium, sicut in contractione matrimonii ».

61. *Vol. 19*, *p. 446*. « Licet sit contra legem naturae quod homo libertatem suam a se abdicet, postquam tamen facta est, necesse est servare quia hoc est iustum ».

62. *Vol. 24*, *p. 461-462*. « Domini de stricta iustitia possunt vendere unum istorum (servorum) in terram et regionem remotam sicut bovem vel asinum pro necessitate sua... Si autem sit simpliciter possessio domini ut bos vel equus, tunc ad nihil potest se donare alteri, non plus quam bos et equus ».

XI. Circa hyerarchiam.

63. *Vol. 16*, *p. 691*, docet probabile in Ecclesia primitiva Episcopos non distingui a presbyteris. — « In Ecclesia primitiva omnes Sacerdotes erant Episcopi, et magis ex usurpatione facta est distinctio inter Episcopos et Sacerdotes quam ex institutione divina ». *Vol. 24*, *p. 4*.

64. *Vol. 26, p. 500 et seqq.* In libro — *De perfectione Statuum* — nimis deprimit conditionem et vitam praelatorum, plus aequo exaltans conditionem et vitam praedicantium.

Praelatus *nutrit* et *curat*, vir apostolicus *generat Spiritualiter....* unde magis *adventitius* est status praelatorum quam virorum apostolicorum. (*p. 527*). Status praelatorum est talis quod permittit talem vitam in eis qui in eo sunt ut infideles pro beatitudine appeterent et nullam aliam affectarent (*p. 510*), unde per se non possunt ad fidem convertere, nec fideles in fide confirmare... sicut alii (*p. 524*). Praelatos fugere, imminente persecutione, non est mirabile, imo magis esset mirabile si mortem sustinerent etc. (*p. 521*).

Bona temporalia, honores et coetera bona multa et magna quae continue consequitur Papa propter regimen universi et eius laborem in regendo, quasi in infinitum excedunt et ab omnibus tam fidelibus

quam infidelibus praeponderantur labori ; ergo sollicitudo, quam habet Papa circa regimen universi, non est gravis et poenalis, sed valde delectabilis ». *Vol. 26, p. 549.*

XII. Sentiendum est cum Ecclesia Romana.

Licet Scotus nimis confidenter huc illuc processerit in investigandis dogmatibus fidei, et doctrinas protulerit dissonas aliquando a posterioribus determinationibus conciliaribus, tamen saepe quaestiones finiuntur et semper se remittit ad Ecclesiae magisterium. « Eo spiritu expositae sunt Scripturae quo conditae. — Et ita supponendum est quod Ecclesia Catholica eo spiritu exposuit, quo tradita est nobis fides, spiritu scilicet veritatis edocta, et ideo hunc intellectum eligit (loquitur de verbis formae consecrationis) quia verus est. Non enim in potestate Ecclesiae fuit facere istud verum, vel non verum, sed Dei instituentis ; sed intellectum a Deo traditum Ecclesia explicavit directa in hoc, ut creditur, spiritu veritatis ». *Vol. 17, p. 376, Vol. 9, p. 827.*

Vol. 16 p. 601. « Sentiendum est de Sacramentis Ecclesiae, sicut sentit Romana Ecclesia ».

Vol. 24 p. 120. « Hoc principaliter teneo (conversionem panis in corpus Christi) propter auctoritatem Ecclesiae, quae non errat in his quae sunt fidei vel morum, cuius Vicario primo dixit Christus. Ego rogavi pro te etc ».

Vol. 23, p. 134. « Libris canonicis non est credendum, nisi quia primo credimus Ecclesiae approbanti et asserenti et tradenti illos ».

Vol. 23, p. 162. « Si aliqua de novo proponantur ab aliquo Doctore, non tenetur quis assentire, sed prius tenetur consulere Ecclesiam et sic errorem vitare... Similiter est in moralibus, non tenetur assentire hoc esse peccatum, nec esse licitum, quousque Ecclesia dixerit ».

XII. **Peculiares animadversiones.**

65. Debent fieri circa librum — *Collationes* (*Vol. 5,*) in quo Scotus apparet scepticus, gerens munus philosophi in utramque partem, nihil pro veritate concludens. Expendere oporteret critice et historice quo fine illud opus sit compositum, in qua inquisitione potest fieri lux circa doctrinam.
66. Insuper liber — *Theoremata* — in quo auctor vere agnosticus manifestatur, negando valorem universalem rationis, nihil relinquens ut firmum et demonstratum.
67. Modus problematicus procedendi saepe adhibetur a Scoto, qui validus in aggressione adversariorum, experitur difficultates et dubitationes in aedificio scientifice construendo. Omnes tractationes simul ad invicem conferenti apparet non multum sibi cohaerens in Doctrinis etiam post tentatas conciliationes *voluminis 26.*
68. Non omittendam puto oppositionem systematicam doctrinam inter Scoti et S. Thomae. Quoties id potest sine offensa fidei, Scotus conatur refutare Doctorem Angelicum, non tamen ipsum offendit. Unde innumerae laudes ab Ecclesia doctrinae thomisticae tributae, videntur in detrimentum Scoti.

CONCLUSIO.

Omnia ex debito conscientiae dicta sunt. Ex notatis multa levia non sunt, nec expenduntur ut par est ictu oculi et non inspecto textu ipsius Auctoris; ominor tamen non obesse causae beatificationis, praesertim si multa considerentur quae saltem videntur excusare auctorem. Quoadusque Scoti doctrina pensabitur ad trutinam aliarum scholarum theologicarum causa non proficiet, nec veritas mul-

tum lucescet: quod ad me attinet conatus sum procedere ipsam conferendo cum doctrina Ecclesiae atque candide exponendo quid mihi visum sit.

Prae mente habui ista verba Scoti: « Homines nutriti et habituati in opinione alicuius Doctoris nihil dignantur audire vel suscipere quod repugnat opinioni illius, et quidquid consonat illi opinioni reputant verum et suscipiunt libentissime et gratanter ». *Vol. V, p. 574.*

« In eligendo vel fugiendo opinionem non debet homo duci amore vel odio opinantis, sed potius ipsa veritate; et ideo amare quidem utrosque oportet quia utrique iuvant ad inquisitionem veritatis, et ideo iustum est dicere gratias, tamen oportet a certioribus persuaderi ». *Vol. VI, p. 571.*

Omnia tamen iudicio Eminentiae Vestrae ac Sacrae Rituum Congregationis libenter et debite submitto, Sacram Purpuram devote osculans.

. . . . . .

Romae 23 Septembris 1917.

Iudicium alterius Theologi Censoris

Eminentissime Princeps,

Examen operum omnium a Joanne Duns Scoto Doctore Subtili conscriptorum, quod Eminentia Vestra ante hosce duos annos mihi commiserat ad finem, Deo iuvante, perduxi; atque peracti huius examinis rationem redditurus, ad Eminentiam Vestram nunc accedo.

Tria praestabo: primo quidem elenchum operum Doctoris subtilis subiiciam iuxta normam a Benedicto XIV traditam (*De Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione, lib. 2, cap. 27*); secundo interseram in ipso elencho texendo animadversiones singulas ad singulos Doctoris locos prouti res postulabit; tertio denique aliquot animadversiones generales et iudicium meum de omnibus Doctoris subtilis operibus proponam, prae oculis sedulo habens regulas quae leguntur in laudato opere Benedicti XIV (*lib. 2, cap. 28*).

ELENCHUS
OPERUM OMNIUM
Ioannis Duns Scoti
DOCTORIS SUBTILIS ORDINIS MINORUM
QUAE PROSTANT IN EDITIONE NOVA PARISIENSI PERACTA
A LUDOVICO VIVES, BIBLIOPOLA EDITORE
ANN. 1891-1895.

Tomus I edit. anno 1891 pag. VIII, 608.

In hoc tomo habentur:

1. *Tractatus de modis significandi, sive Grammatica spe-*

culativa. Continet, praeter Prooemium, capita LIV, decurrentia *a pagina 1 ad 50 inclusive.*

ANIMADVERSIO. — Videtur piarum aurium offensiva propositio qua Doctor Subtilis (*in pagina 2, columna 2*) explicat cur nomen *deitas* sit foeminini generis etiamsi in Deo nulla sit proprietas patientis a qua sumi possit foemininum genus: « licet in Deo, ait, secundum veritatem non sit proprietas passiva, tamen imaginamur ipsum tanquam patientem a nostris precibus ». Sed fortasse excusari potest haec loquendi ratio si respectus habeatur ad consuetudinem veterum scholasticorum qui huiusmodi inquisitionibus facilius indulgebant.

2. *Super universalia Porphirii quaestiones acutissimae.* Decurrit hoc opus *a pagina 51 ad 435 inclusive.* Dividitur in quaestiones XXXVI.

Nulla animadversio.

3. *In librum praedicamentorum quaestiones.* Continetur hoc opus *in paginis decurrentibus a 437 ad 538 inclusive* et dividitur in quaestiones XLIV.

Nihil notavi.

4. *In primum librum Perihermenias quaestiones.* Continetur hoc opus *in paginis 539-568.* Dividitur in quaestiones XIII.

Nihil notavi.

5. *In secundum librum Perihermenias quaestiones* Continetur *in paginis 569-579.* Dividitur in quaestiones X.

Nihil notandum.

6. *In duos libros Perihermenias, Operis secundi, quod appellant, quaestiones octo.* Decurrunt hae quaestiones, in quas dividitur opus, *a pagina 582 ad 601.*

Nulla animadversio.

Tomus II edit. anno 1891 pag. 685.

1. *In libros elenchorum quaestiones.* Decurrit a pagina 1 ad 80 inclusive et dividitur in quaestiones LVI.

Nihil notavi.

2. *In librum primum priorum analyticorum Aristotelis quaestiones.* Continetur *in paginis 81 177* et dividitur in quaestiones XXXVII.

Animadversio unica. — In quaestione 11 (*pag. 109*[a]) Doctor Subtilis ponit principium ex quo multi errores in re theologica sequi possunt. Ait nimirum (in ultimo alinea columnae 1[ae]): « nam certitudo est ad quamlibet partem alicuius propositionis, et potest esse respectu erroris sicut respectu veritatis ». Hoc, inquam, principio semel posito, possibilem scilicet esse certitudinem de errore, immediate sequitur id quod modernistae contendunt, posse scilicet dari certitudinem contra fidem (Cfr. propositionem 23[am] inter damnatas Decreto « Lamentabili » 3 iulii anno 1907). — Propositio haec Doctoris Subtilis, prouti iacet, mihi videtur qualificanda tanquam *erronea* aut saltem tanquam *ad errorem ducens* et ratio huius censurae est in propatulo ex nuper dictis. Sed fateor me nullum invenisse in Doctoris Subtilis operibus locum in quo ipse videatur propter huiusmodi principium fuisse in errorem ductus. Quamobrem existimo in mente Doctoris Subtilis propositionem hanc vel fuisse merum errorem philosophicum vel, et hoc mihi videtur probabilius, eam fuisse oscitanter prolatam ac proinde omnino non esse excludendam benignam interpretationem, intelligendo certitudinem, de qua est sermo, esse *certitudinem existimatam.* Haec enim certitudo existimata utpote quae, prout huiusmodi, vera certitudo non est, *potest esse respectu erroris sicut respectu veritatis.*

3. *In librum secundum priorum analyticorum Aristotelis quaestiones.* Continet quaestiones VIII et decurrit *a pagina 179 ad 197* inclusive.

Nulla animadversio.

4. *In librum primum posteriorum analyticorum Aristotelis quaestiones.* Continet prooemium (in pag. 199 et 200) et quaestiones XLVII *in paginis 201-321.*

Nulla animadversio.

5. *In librum secundum posteriorum analyticorum Aristotelis quaestiones.* Continet quaestiones XIII expositas *in paginis 323-347.*

Nulla animadversio.

6. *In librum primum physicorum Aristotelis.* Continet quaestiones XXIV *in paginis 352-504.*

ANIMADVERSIO 1. — In quaestione 7ª (*pagina 390. col. 1.*) Doctor disputans utrum ens dicatur univoce de substantia et accidente, quum sibi obiecerit accidentia in Sacramento altaris existere sine subiecto et cognosci sine cognitione substantiae, respondet « quod per tale miraculum mutatur na-« tura accidentis, igitur mutatur nomen et defini-« tio ipsius ; nam accidenti sic separato competunt « conditiones substantiae, ut quod potest nutrire, « augmentare, ex ipso potest effici aliud, et ita de « aliis, et ita mutatur natura accidentis, ac si na-« tura humana mutaretur in naturam asininam ». Aliis verbis videtur Doctor Subtilis hic dicere quod *accidens in Sacramento altaris iam non est accidens, sed substantia.*

Haec propositio videtur primo intuitu *theologice falsa*, prouti sonabat tempore quo a Subtili Doctore scripta fuit. Sed medicabilis tamen est. Per illam enim Doctor Subtilis non negat accidens manere sine subiecto in Sacramento altaris, sed potius, hoc supposito, ulterius inquirit utrum accidens sic separatum a sua substantia debeat dici adhuc vere et proprie accidens. In hac secunda quaestione, quae mere philosophica videtur, amplectitur solutionem negativam. Ego, utut in hoc puncto a Doctore Subtili vehementer dissentiam, non auderem tamen ei notam ullam inurere.

ANIMADVERSIO 2. — In sequenti quaestione 8ª (*pag. 397*) bis affirmat Doctor implicari contradictionem in hoc quod quantitas separetur a substantia. Ita in columna 1ª *Dico igitur ex praedictis*, et in columna 2ª in responsione ad octavam obiectionem. Licet haec

assertio gravior videatur quam praecedens, attamen excusationem meretur apud illum auctorem qui non solum in aliis operibus sed hoc etiam in loco, videlicet in quaestione immediate praecedenti (de qua in animadversione 1ª) ad quam provocat, aperte admittit accidentia posse per miraculum manere sine subiecto. Hoc autem, quod dico, facile patebit consideranti

1. a Doctore Subtili data opera demonstrari (in quaestione 8ª) quantitatem esse accidens distinctum a substantia.
2. ab eodem Doctore admitti separabilitatem accidentium a substantia (in quaestione 7ª ad quam provocat in quaestione 8ª) per miraculum quod fit in Sacramento altaris.

Unde non videtur damnandus Doctor eo quod simul dixerit implicari contradictionem in hoc quod quantitas separatur a substantia. Ille enim qui tenet quantitatem separatam a substantia iam non perseverare in esse accidentis sed eo ipso evadere substantiam, eo ipso debet affirmare separationem quantitatis a substantia, qua peracta quantitas pergat in suo esse accidentis, esse aliquid impossibile. Atque hoc dictum erit quidem philosophice erroneum, sed nullam censuram theologicam merebitur nisi quis per illud negare intendat miraculum eucharisticum separationis quantitatis a substantia. Haec certe non est mens Scoti qui e contra in hoc ipso loco diserte affirmat tale miraculum esse possibile, uti in verbi allatis in animadversione praecedenti. — Consulto dixi *in hoc ipso loco;* quia licet verba allata in animadversione praecedenti pertineant ad quaestionem 7ªm et hic versemur in quaestione 8ª, attamen doctrina in hisce duabus quaestionibus contenta est aliquod totum quod per suas veluti partes in duabus quaestionibus evolvitur et distribuitur.

7. *In librum secundum physicorum.* Continet quaestiones XV *in paginis 505-605.*

Nulla animadversio.

8. *In librum tertium physicorum*. Continet quaestiones X *in paginis 606-677*.

Nulla animadversio.

Tomus III edit. anno 1892 pag. 777.

In hoc tomo habentur:

I. *Quaestiones in libros IV, V, VI, VII, VIII Physicorum Aristotelis a pagina 1. ad paginam 470.*

Nulla occurrit mihi animadversio facienda.

II. *Quaestiones super libros Aristotelis de Anima*. Complectitur hic liber quaestiones XXIII *a pagina 473 ad 642*.

Animadversio unica. Multa in hoc opere habet Scotus quae contraria sunt opinionibus Sancti Thomae Aquinatis. Sed illa notare visum non est; quia in his agitur de quaestionibus mere philosophicis libere disputabilibus et in omnibus quae heic profert Doctor Subtilis semper catholice loquitur, et praeterea, dum honesta libertate sibi ab Ecclesia relicta utitur, nunquam a religiosa caritate erga adversa sentientes discedit.

III. Quae supersunt in hoc tomo non sunt opus Scoti, sed F. Hugonis Cavelli, qui, ne incompletum remaneret opus *De Anima*, hoc supplementum addidit. Quamobrem a sententia mea de hoc supplemento ferenda abstineo.

Tomus IV edit. anno 1892 pag. 799.

In hoc tomo quarto extant:

I. *Metereologicorum libri quatuor*. Hoc opus decurrit *a pagina 3 ad 263 inclusive*, et dividitur in quatuor libros qui subdividuntur ut infra: liber 3us in quaestiones XXVI, liber 2us in quaestiones IX, liber 3us pariter in quaestiones IX, liber 4^u^ in quaetiones IV.

Animadversio unica. In libro 1° quaestione III, arti-

culo 2° ubi quaeritur « utrum prima causa possit immediate regere istum mundum inferiorem », Doctor Subtilis respondet dupliciter. Primo quidem respondet *negative* et conatur hanc conclusionem demonstrare duobus argumentis atque quatuor contrarias obiectiones solvere contendit. Secundo respondet *affirmative secundum fidem*. Contra huiusmodi rationem procedendi duo mihi occurrunt notanda, nimirum 1°) conclusio prima non videtur probabilis, sed philosophice falsa incunctanter dicenda; 2°) quatenus heic Scotus docet aliquid esse secundum philosophiam negandum quod deinde ait secundum fidem esse admittendum, videtur viam sternere modernistis qui praecise docent aliquid posse esse philosophice falsum et theologice verum. Sed fortasse ab hoc modernistarum errore absolvi potest Scotus dicendo ipsum in hac procedendi ratione solummodo philosophice erravisse nimium subtilissimo ingenio suo indulgendo, a quo sponte ferebatur ad quaestionem in utramque partem disputandam.

II. *Quaestiones disputatae de rerum principio sive quaestiones universales in philosophiam.* Dividitur hoc opus in XXVI quaestiones et decurrit *a pagina 267 ad 717.*

Nulla animadversio mihi occurrit.

III. *De primo rerum omnium principio tractatus singularis.* Incipit a pagina 712 et explicit in pagina 799.

Nulla animadversio.

Tomus V edit. an. 1892 pag. 725.

In hoc tomo extant:

I. *Theoremata subtilissima ad omnes scientias speculativas, physicam et theologiam, maxime necessaria.* Decurrit hoc opus *a pagina 4 ad 128.am* inclusive. Complectitur theoremata XXIII, quorum aliquot,

scilicet XIV, XV et XVI praeseferunt inscriptum specialem titulum, nimirum « *Tractatus de creditis* ».

ANIMADVERSIO 1. — In theoremate XIV (pag. 39) invenio propositiones aliquot censura dignas, nimirum

1^{am}, quae sic se habet: « Non potest probari Deum esse vivum » (pag. 39);

2^{am}, quae sic sonat: « Non potest probari Deum esse sapientem vel intelligentem » *(pag. cit.)*;

3^{am}, « Non potest probari Deum esse volentem » *(pag. cit.)*;

4^{am}, « Non potest probari Deum habere aliquam operationem manentem in se » *(pag. cit.)*;

Hae quatuor propositiones sunt falsae. Scio quidem alibi a Doctore Subtili afferri argumenta ad probandum Deum esse vivum, intelligentem, volentem, immanenter operantem. Sed hoc non valet sedare duo dubia quae me torquent. Dubito enim primo ne Auctor, qui uno in loco absolute negat demonstrabilitatem harum veritatum, quando alio in loco easdem veritates probare conatur, non multum fidat probationibus suis. Aliud etiam dubium valde molestum me angit, ne scilicet dum Scotus haec quatuor asserta scribebat in eo esset errore, antea iam notato (Cfr. animadversionem superius factam in 1um librum Meteorologicorum, quaestione 3^{a} art. 2°) quo stante dicitur aliquid posse secundum philosophiam negari quod tamen secundum fidem est omnino affirmandum, et affirmatur (*Cfr. supra, pag. 23*).

ANIMADVERSIO 2. — In hoc eodem theoremate (*pagina 41^{a} columna 2^{a}*) prostat propositio quae ordine 18^{a} venit, et quae sic sonat: « Non potest probari animam rationalem esse immortalem ». Haec propositio non videtur componi posse cum his quae habet Concilium Lateranense V contra Neo-Aristotelicos (Cfr. Denzinger, Enchiridion, num. margin. 738. Edit. 10^{a} ann. 1908). Concilium enim hoc oecumenicum eos qui negabant animae rationalis immortalitatem vocat

« temere philosophantes ». Non video quomodo iuxta Scotum dici queant temere philosophantes illi qui negant id quod philosophice probari non posse putat. Nec me movet quod in Reportatis Parisiensibus *(lib. IV, Dist. XLIII, q. 2., pag. 494-498 tomi XXIV)* Doctor Subtilis data opera animae humanae immortalitatem probare conetur; nam hac occasione redeunt duo illa dubia quae exposui in animadversione 1ª immediate praecedenti. Sed cfr. quae dicturus sum in animadversione unica ad tomum XIII.

ANIMADVERSIO 3. — In Theoremate XVI inveniuntur undeviginti propositiones, de quibus omnibus, ultima tamen excepta, repetenda veniunt ea quae dixi in animadversione 1ª (*supra pagina 14*). Continetur hoc theorema *in paginis 54, 55, 56 et 57.*

II. *Collationes seu disputationes subtilissimae. A pagina 131 ad 317 inclusive;* et complectitur XXXIX collationes.

Nihil notavi.

III. *De cognitione Dei. Tractatus imperfectus. A pagina 318 ad 337 inclusive.* Complectitur qaest. VI.

Nihil notavi.

IV. *Quaestiones miscellaneae de Formalitatibus. Tractatus imperfectus. A pagina 338 ad 432 inclusive.* Continet quaestiones VII.

Nulla animadversio occurrit.

V. *In IV priores libros Metaphysicorum Aristotelis expositio. A pagina 435 usque ad finem tomi quinti.*

Nulla animadversio.

Tomus VI edit an. 1892 pag. 667.

In hoc tomo extant:

I. *In V, VI, VII, VIII, IX, X, XI et XII libros, Metaphysicorum Aristotelis expositio. A pagina 1 ad 600 inclusive.*

Nulla animadversio.

II. *Conclusiones utilissimae ex XII Metaphysicorum Aristotelis. A pagina 600 ad 667.*
Nulla mihi occurrit animadversio.

Tomus VII edit. an. 1894 pag. 705.

In hoc tomo extat unicum opus, nimirum :
Quaestiones subtilissimae super libros Metaphysicorum Aristotelis. Decurrit a pagina 11 ad 705 per integrum tomum. Dividitur opus hoc in XII libros, sed desideratur lib. XI.
Nulla animadversio.

Tomus VIII edit. a 1893 pag. 647.

In hoc tomo continentur :
Quaestiones in 1um librum Sententiarum. Distinctio prima et secuuda.
Dividitur sic :
I. *Prologus.* In hunc habentur : 1° Praefatio Scoti (*pagina 8*). 2. — Quaestio 1a, 2a, 3a, *a pagina 9 ad 120.* — 3. Heic subduntur quaestiones quatuor laterales *a pagina 120 ad 195.* — 4. Quaestio 4a *a pagina 195 ad 293.*
II. *Distinctio prima.* In hanc habentur quaestiones quinque *a pagina 298 ad 388. inclusive.*
III. *Distinctio secunda.* In hanc habentur quaestiones septem *a pagina 393 ad 647* inclusive.
Nihil notavi.

Tomus IX edit. an. 1893 pag. 913.

In hoc tomo inveniuntur :
Quaestiones aliae in 1.um librum Sententiarum.
Sic dividitur :
I. *Distinctio tertia ;* in quam habentur quaestiones novem *pag. 1-117*
II. *Distinctio quarta.* In hanc habentur quaestiones duae *pag. 420-434*

III. *Distinctio quinta.* In hanc habentur quaestiones duae *pag. 441-504*
IV. *Distinctio sexta.* In hanc est unica quaestio *pag. 507-521*
V. *Distinctio septima.* Quaestio unica *pag. 524-558*
VI. *Distinctio octava.* Quaestiones quinque *pag. 564-767*
VII. *Distinctio nona.* Quaestio unica *pag. 773-783*
VIII. *Distinctio decima.* Quaestio unica *pag. 787-821*
IX. *Distinctio undecima.* Quaestiones duae *pag. 824-849*
X. *Distinctio duodecima.* Quaestiones duae *pag. 852-880*
XI. *Distinctio decimatertia.* Quaestio unica *pag. 884-913*
ANIMADVERSIO UNICA. — In quaestione quarta super dist. III (*pag. 191*) inde a verbis « et isto ultimo modo potest concedi quod cognoscuntur veritates sincerae in luce aeterna, sicut in obiecto remoto cognito » habet Doctor quaedam quae ontologismum sapiunt.

Tom. X, edit. a. 1893, pag. 781.

In hoc decimo tomo extant:
Quaestiones (aliae) *in I^{um} librum Sententiarum.*
Sic dividitur:
I. *Distinctio decimaquarta*, in quam nullam quaestionem instituit Scotus.
II. *Distinctio decimaquinta.* Quaestio unica *pag. 10-15*
III. *Distinctio decimasexta.* Quaestio unica *pag. 18-31*
IV. *Distinctio decima septima.* Quaestiones sex *pag. 39-136*
V. *Distinctio decima octava.* Quaestio unica *pag. 141-159*
VI. *Distinctio decima nona.* Quaestiones duae *pag. 168-195*
VII. *Distinctio vigesima.* Quaestio unica *pag. 198-207*
VIII. *Distinctio vigesima prima.* Quaestio unica *pag. 210-220*
IX. *Distinctio vigesima secunda.* Quaestiones duae *pag. 223-252*

XXX. *Distinctio quadragesima tertia.* Quaestio ùnica *pag. 728-741*
XXXI. *Distinctio quadragesima quarta.* Quaestio unica *pag. 744-751*
XXXII. *Distinctio quadragesima quinta.* Quaestio unica *pag. 756-761*
XXXIII. *Distinctio quadragesima sexta.* Quaestio unica *pag. 768-770*
XXXIV. *Distinctio quadragesima septima.* Quaestio unica *pag. 773-776*
XXXV. *Distinctio quadraginta octava.* Quaestio unica *pag. 779-781*

Nulla mihi occurrit animadversio facienda.

Tomus XI, edit. a. 1893, pag. 599.

In hoc tomo undecimo continentur :

Quaestiones (aliquot) *in* 2um *librum Sententiarum*, nimirum :

In distinctionem 1^{am} quaestiones quinque *a pagina* 2^{a} *ad 209.*

In distinctionem 2^{am} quaestiones duodecim *a pagina 210* ad finem tomi.

Nihil notavi.

Tomus XII, edit. a. 1893, pag. 680.

In hoc tomo sunt :

Quaestiones (aliae) *in* 2um *librum Sententiarum*, nimirum :

In distinctionem		3^{am}	quaestiones undecim	*pag.*	*6-291*
»	»	4^{am}	quaestio unica	»	*294*
»	»	5^{am}	quaestiones duae	»	*297-330*
»	»	6^{am}	» »	»	*333-367*
»	»	7^{am}	quaestio unica	»	*373-413*
»	»	8^{am}	» »	»	*417-422*
»	»	9^{am}	quaest. duae	»	*427-520*
»	»	10^{am}	quaest. unica	»	*522-524*
»	»	11^{am}	» »	»	*528-542*
»	»	12^{am}	quaest. duae	»	*546-607*
»	»	13^{am}	quaest. unica	»	*611-637*
»	»	14^{am}	quaest. tres	»	*648* ad finem tomi.

Nihil notandum.

Tomus XIII, edit. a. 1893, pag. 500.

In hoc tomo continentur:
Quaestiones (reliquae) *in 2um librum Sententiarum.*
Hae quaestiones sic inveniuntur distributae:
In distinctiones 17^am; 21^am; 30^am; 37^am; 39^am; 43^am quaestiones duae in singulas distinctiones.
In distinctionem 20.am quaestiones tres.
In distinctionem 42.am quaestiones quinque.
In coeteras distinctiones, praeter praedictas, a 15^a ad finem libri 2^i Sententiarum, tot quaestiones quot distinctiones.

ANIMADVERSIO UNICA. — In quaestione prima super distinctionem 17^am, et praecise in pagina 66^a sub littera *d* Scotus affirmat non posse demonstrari animae humanae immortalitatem et ex contexta oratione apparet eum loqui de demonstratione philosophica.

Quia Leo X in Concilio Lateranensi V damnavit tamquam *pestem* tum eos qui dicunt animam rationalem esse mortalem, tum eos qui aiunt id esse verum *secundum philosophiam* atque istos vocat *temere philosophantes;* ideo puto assertum Scoti esse incaute prolatum; quamquam non censeo illud esse a Concilio confictum. Hoc postremum addo quia Scotus non affirmat positive animam rationalem secundum philosophiam esse mortalem, sed solummodo negat eiusdem immortalitatis philosophicam demonstrationem esse possibilem; quae duo sunt valde diversa.

Atque animadversio praesens aptanda pariter est propositioni 18^ae theorematis XIV (*Cfr. tom. V, pag. 39*) et, secundum illam, emolliendam puto animadversionem a me factam in illum locum (*Cfr. in hoc manuscripto animadversionem 2^am in tomum V^um operum Scoti*).

Thomus XIV, edit. a. 1894, pag. 779.

In hoc tomo habentur:

Quaestiones (in 22as distinctiones) *in 3um librum Sententiarum*, sic distributae :

In distinctiones 4^{am}; 8^{am}; 9^{am}; 10^{am}, 12^{am}, 15^{am}, 17^{am}, 18^{am}; 19^{am}; 20^{am}; 21^{am} et 22^{am} tot quaestiones quot distinctiones.

In distinctiones 3^{am}; 5^{am}; 6^{am}; 16^{am} quaestiones duae in singulas distinctiones.

In distinctiones 2^{am}; 7^{am}; 11^{am} quaestiones tres in singulas distinctiones.

In distinctiones 13^{am} et 14^{am} quaestiones quatuor in singulas distinctiones.

In distinctionem 1^{am} quaestiones quinque.

Nihil notandum.

Tomus XV, edit. a. 1894, pag. 1099.

In hoc tomo habentur

Quaestiones (in distinctiones 23^{am} . . . usque ad 40^{am}) *in 3um librum Sententiarum* sic distributae:

In distinctionem 23^{am}	quaestio unica	*pag. 5-31*
In distinctionem 24^{am}	quaestio unica	*pag. 34-53*
In distinctionem 25^{am} :	quaestio I	*pag. 57-165*
	quaestio II lateralis	*pag. 166-247*
	quaestio III principalis	*pag. 248-319*

In distinctiones 26^{am} et sqq. usque ad distinctionem 40^{am} tot quaestiones quot distinctiones *a pagina 321* ad finem tomi.

Animadversio unica. — In quaestione II incidentali seu laterali super distinctionem 25^{am}, Doctor negat (*in pag. 166*) esse necessarium aliquem habitum infusum in voluntate ad hoc ut fides sit in intellectu. Haec doctrina videtur *parum tuta;* non enim in ea sufficienter salvari videtur supernaturalitas actus fidei quatenus est actus liber.

Tomus XVI, edit. a. 1894, pag. 709.

In hoc tomo continentur:

Quaestiones (in distinctiones 1^am^ ... et 7^am^) *in 4um librum Sententiarum*, sic distributae:

Animadversio. — In quaestione 7^a^ supra distinctionem 4^am^ (*pag. 480*) legitur:

« Potest tamen in parentibus unius (baptizati) esse maior motus quam alterius pro suo parvulo, vel in aliquibus aliis ministrantibus vel assistentibus Baptismo, propter quorum merita Deus uni parvulo potest conferre maiorem gratiam quam alteri; sed hoc non virtute Baptismi, sed meriti ».

Hoc assertum non videtur componi posse cum doctrina Tridentini de efficacia Sacramenti ex opere operato; h. e. independenter a meritis ministrantis vel suscipientis. Sed cfr. quae postea dico in animadvers. 2^a^ ad tomum XXIII.

Tomus XVII, edit. a. 1894, pag. 775.

In hoc tomo sunt:

Quaestiones (in distinctiones 8^am^ ... et 13.^am^) *in librum 4um Sententiarum*, sic distributae:

Animadversio. — In quaestione 1 super distinctionem 8am (*pag. 7*) notandus venit processus quem sequitur Scotus in proponendis quaestionibus de reali Christi praesentia in Eucharistia. In processu isto praemittit quaestionem de possibilitate realis praesentiae Christi Domini in Eucharistia, et, postquam hanc quaestionem solvisse existimat, proponit quaestionem *de facto*, utrum revera Christus sit praesens in Eucharistia.

Processus iste in errorem inducere potest lectores. Si enim antequam ex fontibus divinae revelationis demonstrata sit realis Christi praesentia in Eucharistia, iam posset demonstrari eiusdem praesentiae possibilitas atque hoc ex solo lumine rationis naturalis, haec eadem Christi praesentia sub speciebus iam non posset dici mysterium stricte dictum, ut bene observat Card. Franzelin in suo tractatu de Eucharistia. Mysterium enim stricte dictum est veritas cuius possibilitas antecedenter ad divinam revelationem homini innotescere non potest. — Atque, ut obiter dicam, huic processui hic adhibito a Doctore Subtili affine est eiusdem Doctoris assertum quod occurrit paulo infra in hoc eodem tomo, scilicet in quaestione 2a super distinctionem 10am (*in pag. 197 huius tomi*), quod assertum est huiusmodi : « Dico ergo ad quaestionem quod est maxima mihi certissima, quod Deo est possibile omne quod non includit evidenter contradictionem, et ad quod non sequitur necessario contradictio ». — Hoc assertum adhibetur ad demonstrandam possibilitatem multilocationis eiusdem corporis.

Hoc autem assertum videtur simpliciter falsum. Et re quidem vera, etiamsi nullus homo possit evidenter demonstrare multilocationis impossibilitatem, non inde licet inferre eam esse Deo possibilem. Ad hoc ut Deus nequeat aliquid facere, minime requiritur impossibilitas nobis evidens; sufficit impossibilitas sive ista sit nobis evidens, sive non.

Sed forsan Scotus voluit solummodo affirmare *non esse a nobis dicendum Deo impossibile id omne quod non includit evidenter contradictionem et ad quod non sequitur necessario contradictio.* Assertum sic intellectum est verum atque hoc sensu loquitur Scotus in quodlibeto XIX (*tomo XXVI, pag. 292, columna 1, sub num. 22*).

Idem processus, in hac animadversione notatus, iterum redit in distinct. 11^{am} q. 1. (*pag. 321*) ubi agit Doctor de possibilitate transubstantiationis.

Tomus XVIII, edit. a. 1894, pag. 828.

In hoc tomo continentur:

Quaestiones (aliae, scil. in dist. 14^{am}, ... ad 22^{am}) *in 4um librum Sententiarum*, sic distributae:

In distinctionem 14^{am}	quaest.	quatuor	*pag.*	*7-165*
» » 15^{am}	»	»	»	*173-412*
» » 16^{am}	»	duae	»	*416-495*
In distinctiones 17^{am}, 18^{am}, 19^{am} et 20^{am} tot quaestiones quot distinctiones			*pag.*	*503-689*
In distinctionem 21^{am}	quaest.	duae	»	*693-762*
» » 22^{am}	»	unica	»	*765-828*

Nulla occurrit animadversio facienda.

Tomus XIX, edit. a. 1894, pag. 566.

In hoc tomo habentur:

Quaestiones (aliae, nimirum in dist. 23^{am}, ... ad 42^{am}) *in 4um librum Sententiarum*, sic distributae:

In distinctionem 33^{am} quaestiones tres.

In distinctiones 25^{am}, 27^{am}, 30^{am} et 36^{am} quaestiones duae in singulas distinctiones.

In coeteras distinctiones (praeter praedictas) a dist. 23„ ad 42^{am} tot quaestiones quot distinctiones.

Nihil notavi, praeter quaedam verba incaute scripta in quaestione unica super dist. 26^{am} (*pag. 161*). Ait scilicet Doctor subtilis: « minus obediunt homines soli legi naturae quam Deo praecipienti, quia minus timent et reverentur conscientias proprias quam auctoritatem divinam ». Haec oppositio quam videtur inducere Scotus inter legem naturae et Deum praecipientem, inter conscientiae dictamen et auctoritatem divinam, in errorem inducere potest.

Tomus XX edit. a. 1894 pag. 592.

In hoc tomo inveniuntur:

Quaestiones (aliae, scil. in dist. 43^{am},... ad 48^{am}) ***in 4um librum Sententiarum***, sic distributae:

In distinctionem		43^{am}	quaestiones	quinque	*pag.*	*4-157*
»	»	44^{am}	»	tres	»	*161-259*
»	»	45^{am}	»	quatuor	»	*263-394*
»	»	46^{am}	»	duae	»	*491-508*
»	»	47^{am}	»	duae	»	*511-542*

Nulla animadversio.

Tomus XXI, edit. a. 1894, pag. 575.

In hoc tomo habentur:

Quaestiones (aliae, scil. in dist. 49^{am} et 50^{am}) ***in 4um librum Sententiarum***, sic distributae:

In distinctionem 49^{am}

et primo quidem quaestiones quatuor	*pag.*	*5-122*
deinde quaestio ex latere	»	*170-179*
denique aliae sex quaestiones	»	*528* ad finem tomi

Nihil notavi.

Tomus XXII, edit. a. 1894, p. 677.

In hoc tomo continentur:
Reportata Parisiensia. Liber 1[us] et pars libri 2[i].
Tomus sic dividitur:

Nihil notavi.

Tomus XXIII, edit. a. 1894, pag. 657.

In hoc tomo continentur:
Reportata Parisiensia quae remanent.
Tomus sic dividitur:

Animadversio 1[a] — In libro 3[o] dist. 10[a] quaest. unica (*pag. 318 et 319*) admittit Scotus Christum Dominum posse aliquomodo dici *adoptatum*, licet nequeat dici *filius adoptivus*. In fine huius quaestionis disputatio Doctoris tendit ad distinctionem aliquam introducendam inter duo signa rationis, in quorum primo Iesus Christus fuerit sufficienter extraneus ad haereditatem, in altero autem minime.

Quum ex una parte Doctor distinguat adoptionem quam obtrudit a filiatione adoptiva quam excludit (quamquam fateor me nullatenus percipere distinctionem inter haec duo), atque hac de causa hic loquendi modus ab errore theologico immunis sit, quia tamem ex alia parte inducitur modus loquendi alienus a ratione loquendi SS. Patrum et Conciliorum, hac de causa, aliqua nota inurenda mihi videtur Scriptori, qui ingenio suo subtili nimis indulgens e penu subtilitatum suarum extraxit modum loquendi excusabilem quidem in eius intentione sed inauditum inter catholicos.

Animadversio 2ª — In libro 4º, dist. 4ª quaest. 7ª prope finem (*pag. 613 et 614*) iterum recurrit assertum iam notatum in tomo XVI, et bis hic repetitur: 1º in columna 2ª pag. 613ªᵉ: « parentes per modum meriti plus possunt mereri suo parvulo quam alii », et in pagina 614ª: « secundum enim dispositionem maiorem vel minorem si sit adultus vel parentum si sit parvulus, confertur maior vel minor gratia ».

De hoc iam locutus sum in animadversione apposita ad tomum XVI (Cfr. in hoc manuscripto). Sed fateor ex hoc 2º loco Reportatorum apparere dispositionem illam parentum sumi a Doctore Subtili tanquam *removens prohibens;* hoc autem non est contra doctrinam catholicam de efficacia Sacramentorum *ex opere operato.* Eodem enim modo loquitur Doctor Subtilis de dispositione parentum relate ad parvulos et de dispositione adultorum relate ad se.

Tomus XXIV, edit. a. 1894, pag. 688.

In hoc tomo inveniuntur:
Reportata Parisiensia (continuatio libri 4ⁱ.)
A distinctione 7ª ad 49ᵃᵐ *pag. 1-688.*
Nihil notavi.

Tomus XXV, edit. a. 1895, pag. 586.

In hoc tomo continentur:
I. Quaestiones quodlibetales 13, *a pag. 5 ad 586.*
II. Praefatio ipsius Scoti *in pag. 3.*
Nihil notandum.

Tomus XXVI, edit. a. 1895, pag. 568.

In hoc tomo continentur:
I. Aliae quaestiones quodlibetales (*a 14ª ad 21ᵃᵐ inclusive*) quae decurrunt *a pag. 1ª ad 345ᵃᵐ.*

II. De perfectione Statuum; *a pag. 501^{a} ad 561^{am}.*
III. Alia opuscula quae non sunt conscripta a Scoto. Nihil notavi.

Atque hic, Eminentissime Princeps, quum Deo iuvante, ad finem pervenerim diuturnae operum Scoti lectionis, liceat mihi aliquam animadversionem addere antequam ad conclusionem generalem deveniam.

Animadversio 1^{a} — Et primo quidem superfluum duxi iteratam lectionem instituere operum quae continentur in tribus voluminibus editis ad Claras Aquas annis 1910, 1912 et 1914. Opera, in his tribus voluminibus contenta, sunt:

1. *Quaestiones disputatae de rerum principio.*
2. *Tractatus de primo rerum omnium principio.*

Haec duo opera continentur in volumine edito anno 1910 ad Claras Aquas. Sed ego illa legi in tomo IV, editionis Parisiensis, uti superius notatum est.

3. *Commentaria in 1um librum Sententiarum.*

Hoc opus continetur in volumine edito anno 1912 ad Claras Aquas. Sed ego illud legi in tomis VIII, IX et X editionis Parisiensis.

4. *Commentaria in 2um librum Sententiarum.*

Hoc opus invenitur in volumine edito anno 1914 ad Claras Aquas. Illud legi in tomis XI, XII et XIII editionis Parisiensis.

Editio Parisiensis non differt ab editione Wadingiana, cuius est exacta reproductio; editio vero facta ad Claras Aquas a praecedenti differt in hoc quod continet varias lectiones quae habentur in editione Veneta. Haec non mihi visa est ratio sufficiens recedendi ab editione facta cura et studio insignis Wadingi.

Animadversio 2^{a} — Doctor Subtilis et per ipsum universus Ordo Seraphicus hanc laudem adepti sunt in Ecclesia ut Beatae Mariae Virginis Immaculatam Conceptionem docuerint etiam tunc quum alius religiosus Ordo in Ecclesia Dei non minus insignis Doctorem suum Angelicum sequens hanc veritatem vel negabat vel tacebat. Certe in multis mere scho-

lasticis disquisitionibus a Doctore Angelico discrepat Doctor Subtilis. Sed dissensus in quaestione de Virginis Deiparae Conceptione tantum honorem irradiat in Scotum, ut umbra exorta ex alio dissensu in metaphysicis evanescere videatur.

CONCLUSIO GENERALIS.

Licet ut muneri meo ea qua par erat fidelitate satisfacerem in meis animadversionibus notare coactus sim quaedam quae in tanta mole scriptorum pauca omnino sunt, omnibus tamen probe perpensis ad normam quam tradit Benedictus XIV (*De Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione, lib. 2, cap. 27 et 28*) censeo:

Quantum est ex parte Scriptorum Ioannis Duns Scoti Doctoris Subtilis nihil prohibet, quominus in causa beatificationis eiusdem Doctoris Subtilis ad ulteriora procedatur. Hoc iudicium S. R. Congregationi et Summo Pontifici humillime subiicio.

Eminentiae Tuae Reverendissimae

. . . . . .

Romae, die 2 aprilis anni 1918.

Praeter haec, a theologis censoribus recensita et expensa Ioannis Duns Scoti opera typis vulgata, alia eumdem reliquisse scripta, vel ipsi Franciscales sodales aperte fatentur. Tradit enim R. P. Marianus Fernandez Garcia: « Plura alia recensen- « tur Doctoris Subtilis opera, quae vel iniuria tem- « porum perierunt, vel hominum incuria sub scri- « niorum iacent pulvere. Sunt autem ex Pitsaeo: « *Lectura in Genesim*, libr. I: *Commentarii in Evan-* « *gelia*, lib. IV: *In Epistolas D. Pauli*, libr. plures: « Sermones de Sanctis, libr. I: *Sermones de Tem-* « *pore*, libr. I: *Commentarii imperfecti*, lib. I; et « alia **plurima**. — Ex Bodlej (Biblioth. t. 1) « *Commentarii in Apocalypsim*. — Plura alia Scoto « tribuuntur opera inedita, quae enumerare vacat ». (*De Vita, Scriptis et Doctrina B. Ioannis Duns Scoti, pag. 60*). Plane itaque doceant oportet causae Actores, quaenam diligentiae et investigationes sint peractae ad ea detegenda, quae desiderantur scripta, et quid censendum sit de aliis, quae deperdita sunt. Vix enim intelligi datur, tot adeo insignis Viri scripta periisse, quin deplorandae iacturae causae et adiuncta memoriae prodita sint.

Quae tamen dicta sint sub censura, salvo etc.

Die 15 Maii 1918.

ANGELUS MARIANI S. C. Adv.
S. Fidei Promotor

ORDINIS MINORUM

CONFIRMATIONIS CULTUS

AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI

SERVO DEI

IOANNI DUNS SCOTO

Sacerdoti professo Ordinis Minorum

Beato et Sancto nuncupato

RESPONSIO AD ADNOTATIONES

R. P. D. PROMOTORIS GENERALIS FIDEI

SUPER REVISIONE SCRIPTORUM

E.ME AC R.ME DOMINE,

1. Non me latet temeritatis notam effugere vix me posse cum hoc tantum onus, validissimis quibusque humeris formidabile, suscipere ausus sim. Ut vero non arroganter a me hoc esse factum quisque intelligat, fateor ad hoc opus suscipiendum me adductum non esse, nisi cum de sententia theologorum ex officio electorum certior factus fuerim et praeclarorum virorum, quibus laudes gratesque hic libenter persolvo, operam et auctoritatem mihi comparaverim. Quare horum auxilio et auctoritate innixus et Theologorum sententiis fretus, quibus nihil novi in scriptis beati Ioannis Duns Scoti

contineri nec contra fidem nec contra mores, ita ut nihil ex his ipsius Causae Beatificationis obesse possit, fidentissimo animo opus aggressus sum certa spe ductus non mei ingenii imbecillitate, sed Causae ipsius nobilitate, facilem victoriam me esse adepturum. Nolim tamen quis me credat, certa hac spe fretum, leviter operi manus admovisse; singula namque, quae eruditissimis censoribus notatu digna visa sunt, religiose perpendi, omnemque diligentiam ad eadem explananda penitusque diluenda impendi, ita ut nihil, spero, supersit, quod in catholico et eximio scriptore ad altarium honores provehendo iure valeat reprehendi.

Responsio ad iudicium primi theologi deputati.

2. Plura, uti videre est, in scriptis Dei Famuli animadvertenda deprehendit primus theologus ex officio deputatus, quae, si numerus spectetur ac species, fieri non potest quin legentis animum vehementer commoveant. Ast si obiecta loca aequa mente ac veritatis dumtaxat studio considerentur, facile quisque intelligit ea omnia omnino non differre a doctrina et mente Ecclesiae, nec a fidei et sanae philosophiae principiis, nisi prima fronte, deflectere, ut ex iis quae dicturi sumus patebit. Liceat tamen mihi antea animadvertere egregium Censorem astricta nimis ratione suas difficultates exposuisse, ita ut aliquando vix intelligi possit quid in locis adnotatis castigatione dignum existimet; quod quantum sit alienum a mente iuris nostri Magistri nemo non videt. Docet enim Benedictus XIV Revisores ita peragere debere ut « *Auctoris consilium indicent, nec non propositiones,*

« *si quae sint, censura dignas; difficultates, si quas* « *habent excitent*, **nec omittant earum so-** « **lutiones ac responsiones subiicere,** « *si aptas iudicaverint* » (Lib. II, c. 27 n. 12). Credere autem non possum omnium difficultatum, quas doctissimus theologus adnotavit, aptam solutionem ac responsionem in promptu ipsum non habuisse: et tamen nullam nobis subiecit. Hoc vero eo magis dolendum est, quia pro certo habemus futurum fuisse ut clarissimus Censor plures praeteriisset, si earum solutiones ac responsiones indicare voluisset; quod evenisse nobis videtur in iudicio alterius Censoris. — Hisce obiter animadversis, ad oppositarum difficultatum solutionem devenientes, ut ordinem clarissimi Censoris servemus, dicemus in primis de iis quae, ut ipse ait « vel parum ortodoxa, vel erronea, vel periculosa, vel male sonantia » Doctor Subtilis docere videtur:

I. — Circa Deum.

5. Qua in re animadvertit primo Censor egregius, Scotum docere « *corpus coeleste habere causam conservantem* « *non vero efficientem* » ex quo Censor ipse inferre videtur Scoti sententiam fuisse Deum non esse causam mundi creatricem, sed conservantem. — At hanc esse non posse mentem sancti Doctoris ex eo quisque sentit quod, cum eiusmodi assertio uti haeretica habeatur, fieri non potest ut huc usque perveniret quin ab Ecclesia, veritatis vindice, censura plecteretur. Ut vero quaenam sit horum verborum significatio intelligatur, haec prae oculis habenda sunt: 1. librum ex quo difficultas deprompta est, esse Commentarium in libros Physi- *Animad. § 1.*

corum Aristotelis; quare in eo agitur de composito mundano, iuxta ea quae de scientiis physicis ferebant tempora: 2. quaestionem hic non esse de causalitate mundi, sed de causalitate rerum quae iam existere supponuntur; 3. tandem, loco citato sanctum Doctorem non thesim defendendam proponere, sed verbis ut ita dicam incidentalibus ac veluti exemplo, ostendere velle quodcumque compositum habere causam sui efficientem, materialem, formalem ac finalem; si vero compositum sit aeternum, uti, iuxta Aristotelis sententiam, est corpus coeleste, tunc eius causam efficientem non esse producentem, sed tantum conservantem. Ad horum intelligentiam animadvertendum est Doctorem Subtilem causam *efficientem* distinguere in *conservantem* et *producentem*: « causa *conservans* et propria quae « continue influit in effectum, virtute cuius in- « fluentiae ille effectus est, et manu tenetur: quia « subtracta illa influentia causae conservantis ille « effectus non esset, et sic effectus dependet a causa « conservante, non solum in fieri, sed etiam in « facto esse, et in conservari. Causa *producens* « tantum est illa, a qua dependet res in fieri, licet « non in conservari, ut calor dum manet remoto « agente, a quo producebatur « (*Vol. II pag. 557*). Ergo si cum Aristotele ponamus corpus coeleste esse aeternum, sequeretur Deum esse quidem causam *efficientem* huius corporis, at *conservantem* tantum, quatenus eius virtute manu tenetur, non vero *producentem*, quia corpus ipsum ab aeterno existeret. Iniuria igitur ex hoc loco inferre quis vellet Scotum negare Deum esse causam mundi. Ceterum quaenam fuerit hac de re sancti Doctoris sententia ac doctrina apparet ex Commentario libri VIII Physicorum (*Vol. III pag. 408*) in quo aperte affirmat: « **Deus per libertatem suae voluntatis** « **creavit coelum** »: atque eius doctrina de creatione ex nihilo, et quidem ab aliis doctoribus

scholasticis non absimilis, dignoscitur in II libro Sententiarum Dist. I quaest. II et III.

Quod vero spectat ad aliam difficultatem a clarissimo Censore sub eodem numero propositam, qua nempe Scotus incusatur docere « *possibilitatem alicuius corporis actu infiniti considerando potentiam activam infinitam Dei* », si quis integram quaestionem perlegat facile intelligit sanctum Doctorem illic agere de infinitate, non uti perfectio haec Deo tribuitur, sed de possibilitate infinitatis numericae in linea, in motu vel in corpore, hoc est utrum actu esse possint corpora numero infinita, quod de facto dari aperte negat in quaestione sequenti. Ad rem theologi distinguunt possibilitatem *extrinsecam*, qua tenent potestatem Dei infinitam omnia efficere posse, quae contradictionem non involvant, atque proinde etiam corpora actu infinita; *intrinsecam* quae repugnantiam involvit: haec tamen repugnantia numeri actu infiniti huc usque non est demonstrata, uti fatetur ipse Doctor Angelicus: « *Adhuc non est demonstratum, quod Deus non possit* « *facere ut sint infinita actu* » (Cfr. Contra Gentes l. II c. 81). Ceterum quaestio haec est mere scholastica, uti est, ex. gr. quaestio divi Thomae an Deus potuisset creare mundum ab aeterno.

Vol. 3 p. 411, clarissimus Theologus Censor haec *Animad. § 2.*
verba adnotat: « *Motor aeternus et immutabilis non potest movere nisi circulariter . . . Mobile immediatum illi motori debet esse impassibile* ». — At falso sententiam his verbis expressam Doctori Subtili attribuit. Etiam hic liber est Commentarius in Libros Physicorum Aristotelis, et Scotus, uti illius est mos, exponit prius sententiam Aristotelis, deinde suam pandit. Iuxta Aristotelis sententiam, motor immobilis movet mundum inferiorem non immediate, sed mediante coelo quod esset mobile immediatum, compositum ex essentia quadam impassibili, specifice diversa a quatuor notissimis elementis

terra, aqua, aere et igne; item iuxta Aristotelem existit motus perpetuus, quo admisso, inveniri nequit nisi in hoc mobili incorruptibili et impassibili, nempe in coelo Aristotelico. Quia vero motus perpetuus concipi non potest nisi in forma sphaerica, hinc sequitur quod, si ponamus cum Aristotele quod a motore aeterno et immutabili non potest actio nova provenire, quod idem est in casu ac dicere illum non posse movere mundum interiorem nisi mediante coelo, in quo inveniretur motus perpetuus, qui non concipitur nisi in forma spherica seu circulari, sequitur, inquam, quod « *Motor aeter-* « *nus et immutabilis non potest movere immediate* « *nisi motu circulari* ». *Mobile vero immediatum illi motori, debet esse impassibile*, quia est aeternum, cum moveatur motu aeterno, ac proinde est inalterabile, ingenerabile et incorruptibile.

6. Haec vero Doctor Subtilis affirmat explicans sententiam Aristotelis, cui tamen minime adhaeret ipse, qui ita sententiam suam circa finem eiusdem quaestionis prodit: « *dico quod secundum fidem et veri-* « *tatem* (idest secundum fidem et rationem) *habemus* « *concedere, quod* **a motore immobili, sci-** « **licet ipso Deo, potest provenire actio** « **nova immediate, imo de facto pro-** « **venit ab ipso totus mundus noviter,** « *et hoc persuadetur ex hoc, quod Deus est aeternus,* « *quia licet ab eo proveniat actio nova, non propter* « *hoc sequitur quod ipse mutetur, sed omnis mutatio* « *est in rebus mutabilibus, quae ab ipso proveniunt* » (p. 413). En clara doctrina Philosophi christiani. Utrum theoria de motu perpetuo sit erronea necne, physicorum erit iudicare. Nobis satis est ostendisse Scoti doctrinam plane orthodoxam esse.

7. In eodem volumine pag. 442, haec alia Censor adnotat: « *Primus motor et ens independens ab alio* « *potest esse coelum praeter Deum, cuius* (*Dei*) « *existentiam probat tantum consensus generis humani*

Animad. § *3.*

« *et necessitas humanae communicationis* ». — Ex his verbis, ni fallor, Censor Scotum accusare vult quatenus doceat existentiam Dei probari posse tantum ex consensu generis humani et ex necessitate humanae communicationis. At vero quam sit alienum a mente sancti Doctoris haec docere ex innumeris eius scriptis patet. Obiecto loco Scotus explicat atque enodat quaestionem *utrum in ordine entium sit devenire ad motorem immobilem*, et recenset octo argumenta quibus Aristoteles affirmat ab ente mobili deveniri posse ad primum motorem. Ex his vero argumentis quibus Aristoteles utitur ad probandam existentiam primi motoris, Doctor Subtilis, qui tenet Deum esse primum et unicum motorem, nonnisi sextum et septimum probat, quae sunt consensus generis humani et necessitas Dei et cultus pro humano consortio. Reliqua argumenta reiicienda esse ducit quia probant quidem existentiam alicuius primi motoris, qui iuxta Aristotelis sententiam est coelum, sed non probant existentiam Dei, qui iuxta Doctoris catholici sententiam, est primus motor. Aliis verbis: iuxta Aristotelem primus motor et ens independens ab alio, praeter Deum, potest esse coelum : iuxta doctorem catholicum non potest esse nisi Deus solus. Hinc cum argumenta quibus Aristoteles probat existentiam primi motoris, non probent existentiam Dei, exceptis argumentis sexto et septimo, Scotus, ceteris reiectis, haec tantummodo retinet, non tamen quasi ex his tantum duobus argumentis probari possit existentia Dei, sed quia ex argumentis Aristotelis haec sola probant existentiam primi motoris, nempe Dei.

8. Vol. 4, pag. 15-16, egregius Censor haec animadvertenda duxit : « *impossibile est Deum regere mundum immediate secundum philosophos, potest tamen secundum fidem* ». — Haec propositio, uti a Censore traditur, significaret impossibile esse, secundum philosophiam, Deum immediate regere mundum; quod *Animad.* § *4.*

omnipotentiam Dei destrueret vel saltem eius immediatam actionem in mundo. At si integram quaestionem quis perpendat, facile conspiciet quantum affirmatio haec a mente ac doctrina Scoti discrepet. Et in primis animadvertendum est verba *secundum philosophos* non esse referenda ad philosophiam qua talem, sed ad doctrinam illorum philosophorum quos Doctor Subtilis superius commemoravit, scilicet Aristotelis, Averrois, Astrologorum etc., ex quorum theoriis asserit inferri non posse Deum agere immediate in res inferiores: quod iam in praecedenti responsione innuimus.

9. Ad pleniorem rei intelligentiam prae oculis habeamus oportet verba quae Censor obiicit excerpta esse ex libro *Metereologicorum* Aristotelis, in quo de rebus experimentalibus disseritur modo a nostro plane diverso, qui aliter sentimus ac veteres philosophi quoad leges quae mundum gubernant. Iam in ipsa hac quaestione Scotus praemittit: « quod per *mun-* « *dum* Aristoteles intelligit aggregationem ex om- « nibus illis, quae continentur infra concavum orbis « Lunae. Sed per *lationes superiores* intelligit motus « corporum coelestium, vel corpora coelestia. Sed « per *virtutem* intelligit tam virtutem activam, quam « passivam . . . Sed per *gubernare* intelligit aliquod « fieri bonum agere intendenti » (l. c. pag. 14). His praemissis notionibus, traditaque theoria Aristotelis qua mundus inferior, seu terra, est contiguus corporibus coelestibus, inquirit *an prima causa possit immediate regere istum mundum inferiorem.* Doctor Subtilis argumenta philosophorum circa hanc quaestionem nihil facienda esse ducit; quam ob rem dicit *secundum philosophos* impossibile esse Deum regere mundum immediate, potest vero secundum fidem. Hinc conclusio philosophi catholici: « *quod Deus possit immediate regere et gubernare* « *istum mundum inferiorem, circumscripta quacum-*

« *que concurrente causa secunda: et hoc habemus* « *credere ex fide* ».

10. Immerito autem aliquis ex hoc sanctum Doctorem improbare contenderet quasi vim humanae rationis destruere aut enervare velit. Immo vero ad eius laudem vertendum est quod, enervando haec ethnicorum argumenta videatur nobis praecinisse quae Vaticana Synodus solemniter postea statuit his verbis: « *Divinae revelationi tribuendum est ut ea* « *quae in rebus divinis humanae rationi impervia* « *non sunt, in praesenti quoque generis humani con-* « *ditione ab omnibus expedite, firma certitudine et* « *nullo admixto errore cognosci possint* » (Sess. III, cap. 2). Quibus sane verbis edocemur nimium non esse fidendum ratiociniis ethnicorum in rebus divinis, etiam si agatur de veritatibus quae humanae rationi imperviae non sunt. Est utique quaedam alia philosophia (thomistica) quae conatur iugiter ostendere veritates plures divinitus revelatas fuisse quoque ab ethnicis admissas, nec huic philosophiae sua deest laus, quia sic procedendo ethnicos ad serviendum Deo cogit; sed oppositam Scoti procedendi rationem nemo non videt esse fidei conformem immo obsequentiorem.

11. Ulterius clarissimus Censor animadvertit Scotum, licet in aliis suis operibus veritatem manifesto doceat, tamen in vol. V, pag. 238 affirmare « *in Deo* « *existere realem compositionem ex realibus relatio-* « *nibus, et hoc ante opus intellectus* ». — Ne Doctorem Subtilem sibi non constare affirmemus, iam allatam Censoris interpretationem reiiciamus necesse est. Et sane loco citato sanctus Doctor innuit quidem aliquam compositionem in Deo, minime vero compositionem *realem*. En illius verba: « Pater, in quantum Pater, est persona realis, ergo « Paternitas, qua formaliter est Pater, est forma « realis et unibilis: sed essentia divina, quae est « in Patre, similiter est res, ergo duae res reales

Animad. § 5.

« et unibiles, ergo compositio ». De qua vero compositione loquatur Dei Famulus clarius apparebit ex responsione ad sequentem animadversionem.

12. Animadvertit enim etiam clarissimus Theologus, Scotum in Vol. 5 *Collatione* 36 et vol. IX, pag. 664 docere « *in Deo distingui realiter essentiam ab at-* « *tributis et attributa ad invicem, distinctione quae* « *non est rationis sed ex rei natura, ante operatio-* « *nem intellectus* — quod arguit compositionem in « Deo ». — In *Collatione* quam commemorat clarus Censor, quaeritur « *utrum in divinis possit esse maior distinctio et diversitas, quam conceptuum* », idest utrum inter essentiam, Personas, attributa, ac inter attributa ad invicem existat mora distinctio logica seu a creato intellectu posita, vel distinctio in ipso Deo fundata. Doctor Subtilis, denegata distinctione mere logica, defendit distinctionem, quam *formalem* vocat, desumptam ex rei natura, sed apertissimis verbis excludit ex hac distinctione deduci posse compositionem in divinis. Quam ob rem magnopere miramur quod Censor egregius asserat Dei Famulum docere in Deo distingui *realiter* essentiam ab attributis. Immo Scotus ipsam Collationem hisce verbis concludit: « Beatus non fabricabit circa essentiam divinam « diversos conceptus *veri* et *boni* (idest sapientiae « et bonitatis), sed unico intuitu omnes illas ra- « tiones (nempe attributa) distincte apprehendit « videndo essentiam, in qua relucet eorum *formalis* « *distinctio,* quae est ex natura rei, *licet non pro-* « *prie dicatur distinctio* **realiter, nec realis** ». Poteratne sanctus Doctor distinctionem realem verbis clarioribus excludere?

Animad. § 6.

13. Item in Vol. IX, pag. 664, Scotus, expositis ac reiectis sententiis oppositis, ita mentem suam aperit: « Dico quod inter perfectiones essentiales, *non est* « *tantum differentia rationis, hoc est diversorum mo-* « *dorum concipiendi idem obiectum formale* (distin- « ctio logica) . . . nec est ibi tantum distinctio obie-

« ctorum formalium in intellectu, quia ut argutum « est prius, illa nunquam est in cognitione intuitiva, nisi sit in obiecto intuitive cognito. Est « ergo ibi distinctio tertia praecedens intellectum « omni modo, quod sapientia est in re ex natura « rei, et bonitas est in re ex natura rei. Sapientia « autem in re *formaliter* non est bonitas in re ». Demonstrata autem hac sententia etiam auctoritate S. Ioannis Damasceni et S. Augustini, ita prosequitur: « Ista autem non identitas formalis stat « cum simplicitate Dei, quia hanc differentiam ne« cesse est ponere inter essentiam et proprietates, « sicut supra d. 2, q. ult. ostensum est, et tamen « propter hoc *non ponitur compositio in persona.* « Similiter ista distinctio formalis ponitur inter « duas proprietates in Patre innascibilitatem sci« licet et Paternitatem, quae secundum Augusti« num 5. de Trin. c. 6. *non sunt eadem proprietas,* « *quia non est eo Pater quo ingenitus*, ergo si in « una persona possunt esse duae proprietates *sine* « *compositione*, multo magis vel saltem aequaliter « possunt esse plures perfectiones (idest attributa) « essentiales in Deo, *non formaliter eaedem sine* « *compositione* »; et prosequitur explicans qua ratione haec sententia cum Dei simplicitate componi possit.

Hisce vero perpensis, nescio quo pacto clarus Theogus affirmet Scotum distingere realiter essentiam ab attributis et attributa ad invicem atque inferat compositionem realem in Deo. Haec omnia, uti patet, pertinent ad percelebrem controversiam Thomistas inter et Scotistas circa distinctionem in divinis. At vero tum illi, tum isti: 1. negant Realismum, scilicet distinctionem realem Gilberti Porretani, Abbatis Ioachim et Socinianorum ab ecclesia damnatam; 2. negant pariter distinctionem puram rationis, quam adstruunt Eunomiani et Nominalistae; 3. omnes vero ponunt aliquam distinctionem quae,

iuxta S. Thomam, est *a parte rei*, iuxta Scotum *ex natura rei*, et quidem ante quemlibet actum intellectus nostri. Doctor Angelicus eiusque asseclae huiusmodi distinctionem appellant *rationis ratiocinatae* vel *virtualem a parte rei*. Doctor Marialis eiusque sectatores eam vocant distinctionem *formamalem ex natura rei*. Nostrum non est scholasticam hanc controversiam dirimere: nobis adnotasse sufficiat, sicuti temere quis Thomistarum sententiam cum Nominalistarum placitis confundere vellet, ita iniuria sententiam Scoti Realistarum censura inureret.

Animad. § 7. 15. In suis adnotationibus pergens clarus Theologus contradictionem invenit in verbis quae leguntur in Vol. 5 pag. 355: « *Intellectus et voluntas in Deo* « *non sunt totaliter idem, et nihilominus non distin-* « *guuntur aliqualiter* ». — At haec scribens clarus Censor non animadvertit hanc ipsam difficultatem sibi admovisse Scotum in pagina sequenti et solvisse. Et sane contradictio esset si Scotus dixisset: intellectus et voluntas non sunt totaliter idem et nihilominus sunt totaliter idem. Ipse vero dicit: *intellectus et voluntas in Deo non sunt totatiter idem*. Quare? quia, uti ipse sanctus Doctor ait in pagina praecedenti, « si intellectus et vo- « luntas sunt idem totaliter; igitur tanta identitate, « intellectus est idem voluntati, quanta identitate « intellectus est idem sibi ipsi », ita ut hac admissa identitate totali seu adaequata, pleno iure dicere liceret Deum intellectu velle, et voluntate intelligere. Quod absonum est dicere. Sed *nihilominus non distinguuntur aliqualiter*, hoc est sub aliquo respectu sunt idem. Aliis verbis hoc sibi vult Doctor subtilis: Inter intellectum et voluntatem in Deo non datur distinctio realis, quia haec arguit compositionem; non distinctio mere logica, quia ratio intellectus non est ratio voluntatis:

adest tamen aliqua distinctio, quam Scotus vocat *non identitatem formalem*.

16. Adnotat insuper Censor egregius Scotum pluribus in locis docere « *omnipotentiam Dei non posse ratione naturali demonstrari, nec argui ex potentia infinita, unde creditur tantum* »; et alibi « *Demonstratione* **quia** *non posse demonstrari Deum sic esse omnipotentem quod sine quocumque alio agente possit causare quodlibet causabile* ». — Si haec vere docuisset Scotus merito ei aptarentur verba censoris « fidem extollit, ut rationem deprimat ». Quaenam vero fuerit eius doctrina, ex obiectis locis clarius intelligimus. In volumine 8 pag. 463, exposita ac demonstrata infinita Dei potentia, haec docet Doctor subtilis: « Licet ergo omnipotentiam « proprie dictam secundum intentionem Theologo« rum tantummodo creditam esse, et non naturali « ratione *credam cuidam* posse probari, probatur « tamen infinita potentia quae simul quantum est « ex se, habet eminenter omnem causalitatem qua « simul posset in infinita, si simul essent factibi« lia ». Et in eodem volumine pag. 497-498 legitur: « De omnipotentia videtur quod illa non per ra« tionem naturalem demonstrabilis, quia omnipo« tentia non potest concludi ratione naturali, ut « Catholici credunt omnipotentiam, nec concluditur « ex ratione infinitae potentiae ». *Animad.* §§ *8-9.*

17. In volumine 10 pag. 714, in quo agitur ex professo de quaestione « *utrum Deum esse omnipotentem possit probari naturali ratione?* », haec habet sanctus Doctor: « Hic responderi potest distinguendo, quod « omnipotens aut potest dici agens, quod potest « *in omne possibile mediate vel immediate*, et hoc « modo est potentia activa primi efficientis (nempe « Dei) omnipotentia, prout extendit se ad omnem « effectum *in ratione causae proximae vel remo« tae*. Et si naturaliter possit concludi esse aliquod « primum efficiens, sicut ostensum est supra di-

« stinct. 2, *naturaliter etiam potest concludi illud esse « omnipotens, hoc modo loquendo.* Alio modo accipitur omnipotens proprie theologice, prout omnipotens dicitur, *qui potest in omnem effectum* **im-« mediate**, et in quodcumque possibile, hoc est, « in quodcumque quod non est ex se necessarium, « nec includit in se contradictionem, ita, inquam, « **immediate, quod sine cooperatione « cuiuscumque alterius causae agen-« tis.** Et hoc modo omnipotentia videtur esse « credita de primo efficiente, et non demonstrata ».

18. His similia docet in volumine 22 pag. 483, addens omnipotentiam primo modo non posse probari ratione naturali « quia Philosophi solum innitentes « rationi naturali non potuerunt secundum prin-« cipia sua hoc ponere, quia posuerunt causam pri-« mam necessario agere, et tunc si ponerent causam « primam esse omnipotentem isto modo, sequerentur « exinde multa inconvenientia. Primo, sequeretur « quod nulla esset causa secunda, quia prima omnia « produceret..... Sequeretur etiam nullum esse « malum in rebus, quia perfectissima causa neces-« sario agens nullum defectum sinit in effectu « suo..... » — Tandem in volumine 25 pag. 299-300 haec habet: « Tenendum est secundum communem « sententiam Theologorum, Deum sic esse omnipo-« tentem, quod sine quocumque alio agente possit « causare quodlibet causabile, nec tamen istud po-« test demonstrari demonstratione *quia* »; quod probat ex rationibus Philosophorum superius allatis.

19. Si obiecta loca attente consideremus, facile persuasum habebimus, nullum in his contineri errorem. Doctor subtilis duplicem distinguit omnipotentiam: alteram qua Deus omnia facere potest, *sive immediate sive mediate*, id est nonnulla per se, alia ope causarum secundarum; alteram qua Deus omnia possibilia *immediate et per se* efficere potest, sine causarum secundarum cooperatione. Omnipotentiam,

primo sensu acceptam, Scotus affirmat esse ratione naturali demonstrabilem; altero sensu sumptam vero dicit fide creditam. Eccur? Quia humana ratio *clare et evidenter* sibi persuadere non potest quo modo Deus agat *immediate* etiam in effectum a causis secundis *immediate* productum. Et re vera, Philosophi qui infinitam Dei virtutem admiserunt, causarum secundarum necessitatem admittere etiam coacti sunt, ne effectus imperfectos in mundo primo principio perfectissimo tribuerent. Insuper, juxta Philosophorum principia, admissa actione Dei immediata, omnia ab Eo producerentur, quin necessaria sit actio causarum secundarum; et tunc omnes effectus mali et ipsum malum morale Deo esset tribuendum, quod repugnat, cum causa perfectissima nullum defectum sinat in effectu suo. Ergo ratio, nisi fide illustretur, evidenter non videt quo modo omnipotentia Dei sese extendat *immediate ad omnia*, et quo pacto cum hac veritate conciliaretur concursus divinus ad malum, praesertim morale, causarum secundarum.

20. Attamen Doctor subtilis haec addit: « Omnipoten-« tia hoc modo sumpta (licet non sufficienter de-« monstretur) probabiliter tamen potest probari « sicut verum et necessarium, et probabilius quam « quaedam alia credita, quia non est inconveniens, « quaedam credita esse evidentiora, quam alia.... « Etsi sint necessariae rationes ad omnipotentiam « probandam, sicut et ad quaedam alia credita, « tamen non sunt *evidenter necessariae et verae* » (vol. 10 pag. 716). Et in volumine 25 pag. 306: « Conclusio principalis est ista, quod demonstra-« bile est viatori demonstratione *quia*, Deum esse « omnipotentem mediate vel immediate, hoc est, « quod possit causare quodcumque causabile, vel « immediate, vel per aliquod medium, quod subsit « causalitati eius ». Ex his patet integram praesentem quaestionem versari, non circa existentiam

sed circa *cognoscibilitatem* Omnipotentiae divinae. Nos sola ratione detegere ac demonstrare valemus Omnipotentiam Dei, quatenus haec significat virtutem infinitam creandi ex nihilo et operandi omne possibile quod contradictionem non implicat. Ast, si hoc Attributum eo sensu accipiatur, quod Deus a seipso et immediate potest omnes effectus producere, *exclusa quacumque cooperatione causarum secundarum*, hoc non est adeo evidens et intelligibile humanae rationi nisi per illustrationem fidei. Hanc suam opinionem Doctor confirmat testimonio veterum Philosophorum, qui, ut iam diximus, cum Omnipotentia et causalitate immediata Dei conciliare non valuerunt cooperationem causarum secundarum, et multo minus malum physicum atque morale. Et nos asserere audemus: Si Omnipotentia hoc secundo sensu accepta, esset naturaliter et evidenter nota humano intellectui, habita non fuisset celebris controversia acriter agitata a posterioribus Theologis circa divinum concursum ad actus liberos voluntatis humanae, et cuius pondus iam a suo tempore praesensit Scotus.

21. Vol. 15 pag. 844, hoc Censor deprehendit: « *Illud* « *praeceptum* — *Diliges Dominum Deum tuum* — « *non est simpliciter de lege naturae in quantum est* « *affirmativum, sed in quantum est negativum prohibens oppositum* ». — Rectius egisset clarus Censor si relatam propositionem complevisset, quae ita prosequitur: « *non odire enim est simpliciter de lege* « *naturae, sed an aliquando amare, dubitatum est* « *supra in tertio praecepto* ». — Agitur in hac quaestione de praeceptis legis naturae, *non positivae;* et circa praeceptum diligendi Deum, Scotus non dissentit a communi theologorum doctrina. Attamen intimum huius praecepti naturalis characterem ac naturam inquirens, haeret dubius utrum simpliciter seu stricte amor Dei sit praeceptum *positivum*, an potius e negativo deducatur. Quod dubium ex

Animad. § 10.

eo oritur quod praecepta primae tabulae exprimuntur in sensu negativo, et conditio hominis, sub lege naturae, erat potius status servi, cuius est obedire, quam filii cuius est diligere patrem. Ceterum quaestio nullius est momenti: praeceptum diligendi Deum extat, illudque Doctor subtilis etiam ex naturali animi ad Deum inclinatione optime adstruit atque explicat.

22. De doctrina Scoti circa Deum agens, clarissimus theologus haec verba postremo adnotat: *Non videtur mihi quod possit demonstrative probari Deum « esse ubique per essentiam, sed ipsum est tantum mihi « creditum et non probatum »*. — At quid hisce in verbis deprehendendum sit non intelligo. Num Ecclesia aliquando declaravit sive explicite sive implicite ubiquitatem Dei per essentiam posse humana ratione demonstrative probari? Quo iure igitur egregius Censor damnandum esse censet Scotum, quia veritatem ipsam fide potius creditam quam ratione probatam teneat? Ceterum Censor verba illa adnotans, reticere non debuisset quae idem Doctor immediate addit perpendens rationem Magistri Sententiarum: « *relinquitur igitur tamquam « probabilius, quod Deus sit ubique per essentiam « suam, et ad hoc possunt adduci multae auctori« tates, quas Magister adducit in littera et allegat.* » (Cfr. Vol. 10 pag. 595 seq.). *Animad. § 11.*

23. En vero ratio cur Doctori subtilissimo evidenter non elucet ubiquitas Dei per essentiam: Agens, quo est perfectior, eo magis agere potest in distans; atqui Deus est agens perfectissimus et omnipotens, ergo potest agere in distans, quin suam praesentiam ubique extendat. Insuper cum Deus sit omnipotens, voluntate sua causat quod vult, nec est necesse ut velit esse praesens rei quam producit, aut in quam vult agere. Eodem enim modo quo ante creationem rerum, licet non fuisset in mundo, potuit illum creare, ita potest in mundum sua virtute agere,

licet sit in coelo. Cum igitur ubiquitas Dei per essentiam non sit necessaria ad actionem, sequitur eam non evidenter erui ex omnipotentia. Nec dicas ex hac sententia minui virtutem intellectus nostri ad detegenda Dei attributa ; quin immo augetur. Nam, iuxta Scotum, ratio nostra Deum adeo potentem recognoscit, ut mundum regere valeret, quin esset praesens ; adeo liberum, ut possit velle vel non velle esse praesens in mundo per essentiam. Sed quis adaequate cognoscere potest quousque sese extendat et applicetur omnipotentia et libera Dei voluntas ?

II. — Circa Trinitatem.

Animad. § 12. 44. De iis agens quae Scotus docet circa Trinitatem, haec adnotat in primis clarissimus theologus Censor : « *In essentia tantum, est ratio formalis respectu* « *productionis : Si per impossibile Pater prius non* « *intelligeret, nihilominus produceret Filium* ». — Cum nemo theologorum neget *in Deo* essentiam esse rationem formalem respectu generationis, tota adnotatio cadit in hypothesim, quam Doctor subtilis ipse impossibilem dicit ; quare, cum agatur de hypothesi, Censor eam praeterire poterat. Certe tamen nullo modo ex ea illud inferre poterat quod ipse intulit, nempe « *Verbum produci a non intelligente* ». Hic Scotus conceptum operationum Dei ad intra clarius explanare conatur, et sensus verborum quae a Censore afferuntur sequens est : In uno eodemque indivisibili actu, quo Pater intelligit seipsum et generat Filium, distinguenda sunt quasi duo momenta : unum, nempe, quo Pater seipsum intelligit, et aliud in quo Verbum producit. Prius

(si de prioritate temporis in Deo loqui fas est) Pater cognoscit omnia in se, ideoque etiam essentiam suam Filio communicandam, ac postea ipsum Filium generat. Quare cum actus Patris intelligentis se praecedat actum producendi Verbum, iam ante generationem Verbi intelligit se et ipsum Verbum, non vero omnia videt in Verbo iam genito; adeo ut si, per impossibile, Pater non cognosceret Verbum, uti a se distinctum, nihilominus videns suam essentiam, illud produceret. Hac vero in hypothesi, Verbum non produceretur a causa non intelligente, sed produceretur a causa quae in se ipsa, hoc est in sua essentia, omnia cognoscit. Talis et non alius est sensus loci citati. Inutilis, quidem, haec inquisitio videri potest; sed nemo mirabitur, si consulantur alii veteres Scholastici, quibus omnibus mos est intime scrutandi etiam fidei mysteria, ut rationabilius evadat obsequium nostrum.

25. In vol. 8 pag. 321, haec deprehendit: « De poten- « tia absoluta Dei non video contradictionem quin « possibile sit quod actus intellectus et voluntatis *Animad. § 13.* « (beati) terminet essentia et non persona, vel una « persona et non alia, puta quod intellectus videat « essentiam et non personam, vel unam personam « et non aliam, et quod voluntas fruatur essentia « non persona, vel una persona et non alia ». — In praesenti oeconomia salutis, visio Dei beatifica seiuncta non est a visione beatifica Personarum. De hoc nemo est qui dubitet, nec Scotus dubitat. Qui tamen ulterius procedens, quaerit *an de potentia absoluta Dei* beatus videre possit essentiam et non Personam, aut unam Personam et non aliam; et ille *non videt contradictionem, quin possibile sit.* Est ergo opinio Doctoris, quae tamen spernenda haud est profecto. Quisque enim potest concipere essentiam, quin consideret relationes divinas, sicut concipere potest unam Personam praecisione facta ab alia, quae realiter distinguitur. Insuper

quoniam beatus, utpote finitus, non potest adaequate intueri Deum infinitum, eoque frui, ita nulla est repugnantia quod Deus possit limitare communicationem sui *soli essentiae*, non visis Personis, vel uni Personae, alia non visa.

26. Et sane haud aliter sentire videtur Doctor Angelicus qui, textum Zachariae (*XIV-9*) exponens, haec habet: « Illud autem nomen unum non significat « bonitatem tantum, nec sapientiam tantum, aut « aliquid huiusmodi, sed significationem omnium « istorum includeret. Sed tamen si intellectus vi« dens Deum per essentiam imponeret nomen rei « quam videret et nominaret mediante conceptione « quam de ea haberet, oporteret adhuc quod im« poneret plura nomina; quia impossibile est quod « conceptio intellectus creati repraesentet totam « perfectionem divinae essentiae. Unde una res di« versas conceptiones formaret, et diversa nomina « imponeret, sicut etiam Chrysostomus dicit, quod « Angeli laudant Deum, quidam ut maiestatem, « quidam ut bonitatem, et sic de aliis, in signum « quod ipsum non vident visione comprehendente, « sed conceptio perfecte repraesentans Deum est « Verbum increatum, et ideo est unum tantum. « Sic ergo patet quod pluralitas nominum venit « ex hoc quod ipse Deus nostrum intellectum ex« cedit. Quod autem Deus excedat intellectum no« strum est ex parte Dei ipsius, propter plenitu« dinem perfectionis eius, et ex parte intellectus « nostri, qui deficienter se habet ad eum comprehen« dendum » (I. Dist. II. quaest. I, art. 3). Igitur attenta limitatione intellectus humani et infinitate Dei, necnon gratuitate visionis beatificae, nulla est repugnantia absoluta, quod Deus visionem hanc limitet in gradu et forma, de qua loquitur Scotus.

27. Ulterius pergens haec adnotat egregius Censor in vol. 23 pag. 228: « *Possibile est quod actualiter « quis peccet in unam personam, non peccando actua-*

Animad. § *14.*

« *liter in aliam* ». — Haec tamen nemo melius quam ipse Scotus declarare poterat. Qui cum quaerat « Utrum possibile sit, peccare in Spiritum Sanctum », ita respondit: « Hic videndum est quomodo potest esse peccatum aliquod in Spiritum « Sanctum praecise. Ubi sciendum, quod omne peccatum est aversio a Deo, et conversio ad creaturam. In quantum ergo peccatum virtualiter vel « formaliter avertit a Deo, et in quantum cedit in « irreverentiam alicuius personae, non potest avertere ab una persona, nisi avertat ab alia virtualiter, nec ut sic potest peccare aliquis in unam « personam, nisi virtualiter peccet in aliam. Sed si « intelligatur quaestio de aversione actuali, posset « videri eadem ratione, quod non posset fieri aversio actualis ab una, nisi fieret ab omnibus « actualiter ».

« Videtur tamen mihi contrarium, quod scilicet « posset fieri aversio actualis ab una persona, et « non ab alia. Quod probatur primo sic, quia cum « sint tres articuli respicientes distincte tres personas, possibile est aliquem errare in uno articulo et non in alio, et per consequens peccare « in unam personam et non in aliam, quia habita « actuali consideratione de una non oportet quod « habeatur de alia. In qualibet autem persona invenitur ratio ultimi finis, quia ratio omnis boni; « ergo illi ut sic, potest fieri reverentia vel irreverentia, non habita consideratione ad aliam personam. Hoc videtur agere Ecclesia in Collectis, « in quibus in fine dicitur: Per Dominum nostrum « Iesum Christum etc. Primo enim praemittitur « Pater, ad quem oratio communiter porrigitur, et « in fine subnectitur mediator; ergo videtur in « orando orare distincte unam personam et non « aliam actualiter. Hoc etiam patet in illo Hymno: « Veni Creator Spiritus etc., ubi multa ponuntur, « quae non conveniunt nisi Spiritui Sancto, ut puta,

« quod sit donum, et alia ». Sicut ergo adorationis actus, *formaliter* uni Personae tribui potest, sed *virtualiter* dirigitur in Trinitatem, ita a pari peccatum. v. g. blasphemia contra Spiritum Sanctum, formaliter ac directe offendit hanc Personam, sed virtualiter attingit et Patrem et Verbum. Quis haec considerans aliquid reprehendendum inveniet in memoratis Doctoris subtilis verbis?

28. In vol. 9 pag. 509 et vol. 22 pag. 141 videtur clarissimo Censori Scotum docere processiones divinas ad intra voluntarias esse, hisce verbis: « *Pater generat volens non tantum voluntate consequente, sed voluntate antecedente* ». — At ubi Censor errorem deprehendit, ibi novam dogmatis Trinitatis illustrationem esse affirmamus. En Scoti sententia: « In « Patre recognoscimus *intelligere, velle, dicere* seu « gignere, et *spirare*. Iam, proprie Pater *volens genuit Filium non tantum concomitanter*, ita quod « productio Filii sibi placet, sed *voluntate quodammodo antecedente*, quia licet intelligere Patris « praecedit velle, velle tamen praecedit dicere, sicut « et intelligere, quia dicere non est intelligere, ut « probatum est, sicut spirare non est velle, tamen « sequitur ipsum dicere ». Haec vero a veritate catholica aliena non sunt. Cum enim Pater sit prior Filio *prioritate originis*, ante quam (iuxta nostrum concipiendi modum) generet Filium, vult et intelligit essentiam suam, non solum uti essentia est, sed ut communicanda Filio. Sed intelligere et velle essentiam, ut communicandam Filio, est intelligere et velle generationem Filii, quia generatio Filii non est nisi communicatio essentiae Patris ipsi Filio, ergo **Pater vult et intelligit prius generationem Filii, quam generet, et per consequens volendo generat Filium voluntate antecedente**. Ex hoc vero minime sequitur generationem et spirationem esse liberas et contingentes; nam eas esse necessarias aperte docet ipse Scotus in quaestione III eius-

Animad. § *15.*

dem libri. Sensus igitur est **Patrem velle libere quod naturaliter generare debet non necessitate violentiae sed inevitabilitatis.** Sicut Deus non potest se non diligere et tamen voluntarie sese diligit; sicut Beati suam liberam voluntatem servantes, peccare nequeunt, ita (analogice) Pater necessario generat Filium et cum Filio spirat Spiritum Sanctum, et tamen utrumque actum voluntarie emittit. Haec doctrina Servi Dei, doctrina plane theologica, quam nemo ante ipsum tanta claritate ac subtilitate exposuerat, quaeque obviam occurrit errori Günter recentiumque Pantheistarum dicentium processum trinitarium vel emanationem quamdam in divinis necessariam esse, ut primum principium assequatur perfectionem sibi deficientem.

). In volumine 9 pag. 835-843 et volumine 22 pag. 187, clarissimus theologus falsam deprehendit hanc propositionem : « *Si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, posset distingui ab ipso sicut nunc distinguitur* » ; in quo autem falsum deprehendat non dicit. *Animad. § 16.* Et sane si Spiritus Sanctus distinguitur a Filio a quo procedit, a fortiori distingueretur, si per impossibile ab eo non procederet ; tunc enim nulla existeret inter utrumque relatio personalitatis. Doctor Subtilis dogma Processionis Spiritus Sancti a Patre et Filio et consequentem realem distinctionem admittit atque defendit. Sed, ut illius est mos, subtilius inquirit quid sit *principium distinctivum reale Filii a Spiritu Sancto, utrum Filiatio an sola spiratio activa,* et affirmat esse *Filiationem ;* quod hoc argumento probat. Illud distinguit unum ab altero quo formaliter constituitur in suo esse; sed Filius constituitur in esse Filii personali Filiatione ; ergo filius distinguitur ab omni alia persona Filiatione. Atque argumentum suum ita concludit : « igitur per impossibile, vel incompossibile, cir-

« cumscripto quocumque alio et maxime poste-
« riori filiatione, remanebit Filius filiatione, di-
« stinctus personaliter a quacumque persona. As-
« sumptum patet, quia Filius non constituitur in
« esse personali spiratione activa, quia illa est
« communis Patri et Filio, et non sunt in ea pro-
« prietates positivae aliae, quam generatio, passio
« et spiratio, actio, ergo etc. »; quod etiam confirmat auctoritate S. Anselmi (*cfr. pag. 843*). Nunc vero quid falsi hisce in verbis invenitur? Ceterum, haec opinio non est tantum Scoti, sed et S. Anselmi, S. Bonaventurae, Henrici Gandavensis, Cardinalis Mathaei ab Aquasparta, Dyonisii Carthusiani, aliorumque Theologorum.

30. In volumine autem 22 pag. 187 Scotus sibi quaerit cur ponantur quaestiones impossibiles uti ista: *Utrum si Spiritus Sanctus non procederet a Filio distingueretur realiter ab illo?* Cui quaestioni ita respondet: « Ut sciatur praecisum distinctivum
« Filii a Spiritu Sancto, utrum filiatio distinguat
« Filium a Spiritu Sancto, vel spiratio activa ».
Et plane excussa quaestione, ita concludit: « ideo
« dico ad quaestionem quod haec consequentia non
« tenet gratia formae: *Filius distinguitur a Spiritu*
« *Sancto, ergo Spiritus Sanctus procedit a Filio.*
« **Sed nunc Filius distinguitur a Spi-**
« **ritu Sancto dupliciter, spiratione**
« **activa et filiatione, et ista persona-**
« **liter distinguitur per se et primo** ».
Velim clarissimus theologus ostenderet quid falsi in his inveniatur.

31. Ante quam huius capitis *circa Trinitatem* finem faciat, egregius Censor adnotat sibi videri Scotum in volumine 5 pag. 184 docere *rationem humanam posse naturaliter cognoscere mysterium Trinitatis, licet alibi aliter dicat.* — Iudicium hoc Censor trahit ex libro Collationum de quo ipse in Adnotatione 65 scripsit « expendere oportet critice et

Animad. § *17.*

« historice, quo fine illud opus sit compositum ut « lux fiat circa doctrinam in eo contentam ». Cum vero ipse Censor fateatur Scotum alibi aliter dixisse, et quidem pluribus in locis, nec admittere possimus doctissimum ac subtilissimum Doctorem inter se pugnantia scripsisse, patet illius sententiam, potius quam ex obscuro hoc libro, ex clarissimis aliis locis desumendam esse. Nihilominus, quidquid de hoc libro sentiendum sit, quidquid Censori videatur, iniuria ex eo aliquid contra doctrinam Servi Dei inferre quis vellet. Et sane titulus Collationis hic est: *Utrum ad hoc, quod intellectus* **assentiat** *alicui vero, requiratur aliquod lumen infusum?* Responsionis, in qua agitur exclusive de mysterio Ssmae Trinitatis, haec est summa. Naturaliter cognoscimus Deum esse intelligentem et conversivum supra se, necnon volitivum et conversivum supra se. Ex eo quod est intelligens et conversivus, sequitur quod sit dicens; sed ubi est dicens, est id quod dicitur: id autem quod dicitur importat relationem oppositam ad dicentem, quae relationes oppositae non possunt esse in eodem supposito, ergo per rationem naturalem possumus cognoscere in Deo pluralitatem. Eodem modo argui potest ex parte voluntatis quoad spirationem. Ergo sine lumine infuso naturaliter cognoscere possumus in Deo Trinitatem Personarum. Insuper intellectus noster, *licet confuse*, cognoscere potest terminos propositionis necessariae et creditae, uti *Deum esse unum et trinum*, aliter propositio non esset credibilis.

32. Hoc est argumentum ex quo egregius Censor infert Scotum docere rationem humanam posse naturaliter cognoscere mysterium Trinitatis. Sed immerito: nam in eo interpretando prae oculis maxime habendus est *titulus* Collationis. In titulo autem quaeritur utrum aliquod lumen infusum requiratur ad hoc ut intellectus *assentiat* alicui vero. Unde rationes ab auctore Collationis adductae eo tendunt

ut probent intellectum posse vero mysterii Trinitatis naturaliter *assentiri*, minime autem cognoscere aut demonstrare. Aliis verbis, Scotus aut quisquis sit huius Collationis auctor (certo enim non constat hoc opus Scoto adscribendum esse), supposita revelatione aut fide mysterii Trinitatis, ostendere voluit quam sit naturaliter credibile intellectui humano et lumini naturae consonum, esto demonstrari non valeat. — Tandem si obiectum locum Scoto attribui velit, memoria tenendum est quod docet Benedictus XIV de revisione scriptorum Servorum Dei agens, id est « *quod si quid obscurum* « *vel Fidei non satis congruum in eorum libris in-* « *veniatur, explicetur per ea quae clarius in alio* « *loco dixerunt* » (Lib. II, c. 28, n. 8). Nunc vero Scotus quamplurimis aliis in locis apertissime docet mysterium SSmae Trinitatis *naturaliter probari non posse nec a priori nec a posteriori, nec demonstratione propter quid, nec demonstratione quia* (Cfr. Vol. 15 pag. 52; Vol. 9, pag. 403; Vol. 22, pag. 337; Vol. 12, pag. 201; Vol. 26, pag. 1; Vol. 23, pag. 12 etc. . . .). Ergo obiectum locum cum collatione cum his interpretari nos oportet.

III. — Circa Gratiam.

33. Ad ea quae sanctus Doctor scripsit de gratia veniens clarissimus theologus adnotat primo contra doctrinam Ecclesiae esse hanc propositionem « *ad videndum Deum intuitive non requiritur lumen additum humano intellectui* » quod quidem variis in locis Doctor Subtilis docere videtur, hoc est Vol. 5, pag. 187 et seqq.; Vol. 14 pag. 197 (non pag. 797); Vol. 21, pag. 418; Vol. 24, pag. 674. — Cum

Animad. § 18.

gravissimum sit hoc Censoris iudicium ita ut ex eo Scotus inter haereticos accenseatur, nostrum erit eum ex censura tam gravi diligentissime purgare. Doctrina Ecclesiae de qua loquitur Censor ea forte est quae reperitur in damnatione quintae propositionis Beguardorum in Concilio Viennensi facta, id est: « Quod quaelibet intellectualis creatura in « seipsa est naturaliter beata, quodque anima hu« mana non indiget lumine gloriae, ipsam elevante « ad Deum videndum et eo beate fruendum ».

34. Ante quam obiecta loca explanemus, iuvat ex aliis locis breviter expendere quaenam ad rem fuerit doctrina Scoti: qui in Volumine 10 pag. 99, haec habet: « *Nullus negat communiter in gloria habitum « luminis gloriae in intellectu.* Et iste ex parte in« tellectus potest poni correspondere charitati ex « parte voluntatis ». Item in Vol. 14, pag. 122, habet: « Dico quod sicut *habens lumen gloriae* et cha« ritatem consummatam non potest peccare... etc. »; Vol. 21, pag. 404: « *Natura humana, non est suf« ficienter activa ex puris naturalibus ad videndum « Deum visione beata* »; et in eodem volumine pag. 442: « Aliud et aliud est lumen hic et ibi, « et ideo actus sunt diversi specie ». Tandem in Vol. 26, pag. 39 et 97 affirmat: « *Anima non po« test attingere ad notitiam Dei propriam immedia« tam ex perfectione sua naturali . . . Anima ex na« turalibus* in quocumque statu vel Angelus *non « potest cognoscere essentiam divinam sub ratione « propria mediate* ». Haec Scotus tenet, fuse evolvit ac defendit, ac proinde, nisi dicere velimus illum contraria inter se docere, memorata a clarissimo Censore loca aliter ac ipse fecit interpretanda sunt.

35. Et re sane vera Censor commemorat primo Vol. 5, pag. 187 et seqq. in quo, uti quisque videre potest, non solum nihil invenitur quod faveat errori a Censore notato, sed potius Scriptor solidis ac subti-

lissimis argumentis respondet negantibus necessitatem luminis gloriae, et probat in patria hoc requiri ad intelligendam essentiam divinam; recenset secundo Vol. 14, pag. 497, in quo Scotus agit de visione intellectus humani in Christo; atque proinde miramur vehementer quod Censor applicare velit intellectui comprehensorum, quod Doctor Subtilis dicit de humano intellectu in Christo. Tertio loco egregius Censor commemorat Vol. 21, pag. 418. At si quis integram perlegat quaestionem facile perspectum habebit Scotum clarissimis verbis docere *beatitudinem non posse consequi ex puris naturalibus*. Ut enim omittamus argumentorum hinc inde allatorum excussionem, satis est ad rem duplicem suam conclusionem expendere (pag. 404): « Prima « est quod natura humana ex puris naturalibus est « immediatum susceptivum beatitudinis. Secunda « est: quod natura humana non est sufficienter « activa ex puris naturalibus ad videndum Deum « visione beata. *Ex quibus sequitur propositum,* « *scilicet quod* **homo non potest ex puris** « **naturalibus consequi beatitudinem** ». Ad primam tuendam conclusionem praeclarum hoc inter alia affert argumentum: « Naturae humanae, « ad hoc quod sit capax beatitudinis, non additur « aliqua natura ab essentia sua, quia tunc natura « humana manens eadem natura, non beatificaretur, « nisi per aliquod accidentale superadditum; nec « per habitum est immediatum susceptivum beati- « tudinis, quia ratio recipiendi beatitudinem non « potest esse habitus, quia nec modo per habitum « recipitur actus, quia cum habitus generetur ex « actibus sequitur actus ipsos: ergo habitus in via « non est ratio recipiendi actum; ergo multo minus « in patria ». Illud vero quod superadditur naturae humanae ad hoc ut sit capax beatitudinis, est lumen gloriae, de cuius natura quot dentur sententiae videre est apud Suarez in 1 parte lib. II *de*

Attributis negativis Dei, cap. 15. Sed forte haeresim Censor invenit in his verbis pag. 418, n. 10: « ... si intellectus sit mere passivus, habens se « solum in ratione susceptivi ad actum visionis, « cum non requiratur propter receptionem solam « aliqua forma ex parte intellectus, tunc non re- « quiritur lumen gloriae ». Sed integre legenti praesentem quaestionem clare patebit secundum Scotum intellectum relate ad beatificam visionem non *passive* sed *active* se habere, ideoque lumen gloriae de facto esse necessarium. — Tandem clarissimus theologus meminit Vol. 24, pag. 674. Sed ad hunc locum quod attinet sufficiat innuere quae Doctor Subtilis exponit initio ipsius Disceptationis; scilicet: « *Omnes Doctores concordant in conclusione,* « *quod* **nulla creatura rationalis ex pu- « ris naturalibus potest consequi bea- « titudinem, videndo Deum per essen- « tiam** ». Statuta vero hac conclusione in qua omnes conveniunt, Scotus addit: « *sed ad hoc diversi diversas rationes adducunt* » ac deinceps agit de diversis rationibus quae afferuntur ad conclusionem ipsam, hoc est ad necessitatem ac naturam luminis gloriae probandam, quam quidem quaestionem, cum non circa factum, sed circa rationes versetur, nemo contra doctrinam Ecclesiae profecto dicet.

6. In suis adnotationibus pergens, clarissimus Theologus Censor animadvertit Scotum in Vol. 10, *Animad. § 19.* pag. 90 docere « Deum potuisse de potentia abso- « luta acceptare naturam humanam beatificabilem « existentem in puris naturalibus et actum eius « ut meritorium vitae aeternae » quod repugnare ipsi videtur. — Ad difficultatis solutionem iuvat prae oculis habere integrum textum propositionis, quam imperfecte Censor affert: « Deus *de potentia absoluta* bene potuisset acceptare naturam « beatificabilem, *acceptatione spirituali praedicta*,

« existentem in puris naturalibus. Et similiter « actum eius, *ad quem esset inclinatio eius natura-* « *lis*, potuisset acceptare uti meritorium. **Sed « non creditur ita disposuisse, quod « naturam puram vel actum eius sic « acceptet, quia actum ex puris natu- « ralibus esse meritorium, appropin- « quat errori Pelagii** ». Nunc vero cuinam dogmati haec verba repugnant? Scotus aperte docet *de potentia Dei ordinata* hanc acceptationem dependere ab habitu supernaturali; sed si *de potentia absoluta* Dei loquamur, cur repugnare dicemus quod Deus naturam humanam beatificabilem acceptasset existentem in puris naturalibus et actum eius ut meritorium? Hoc non repugnat *ex parte Dei*, e cuius libera voluntate dependet statuere quaenam esse debeat hominis cooperatio, ut actus eius sit meritorius vitae aeternae. Item non repugnat *ex parte hominis*, nam, si eius natura proportionata haud est ad actus et meritum supernaturale, talis facta esset, si Deus aliter statuisset, et hac in hypothesi actus naturalis non esset *per sese meritorius*, **sed ex acceptatione divina.**

Animad. § 20. 37. Non probatur egregio Censori quod Scotus docet in Vol. 13, pag. 260, scilicet: « culpa et gratia « non immediate opponuntur nec peccatum est « *formaliter privatio gratiae, quam non ex incom-* « *possibilitate destruit* sed ut demeritum » (Vol. 13, pag. 360; Vol. 23, pag. 181-182). — At si haec clarissimo Censori non probantur, non ideo tamen falsa dicenda sunt et censura digna. Asserit enim subtilissimus Doctor culpam et gratiam *immediate non opponi*, sed assertionem suam bene probat. Et sane, si culpa et gratia immediate opponerentur, una exclusa alia adesse deberet, vel altera posita, altera abesse. Atqui si homo mansisset in puris naturalibus, non habuisset nec culpam nec gratiam; ergo culpa et gratia immediate non opponuntur.

Insuper si homo, in puris naturalibus constitutus, peccasset, de potentia absoluta Deus potuisset peccatum condonare et hominem relinquere in puris naturalibus sine gratiae infusione. Quid ad haec opponi potest? Attamen addit Scotus « **hoc tantum est ex lege illa universali, qua « nullo modo remittitur inimicitia, « nisi fiat, non tantum non inimicus, « sed etiam amicus sibi acceptus per « gratiam sanctificantem** ».

38. Item in Vol. 13, pag. 360 et Vol. 23, pag. 181-182, Scotus hanc defendit sententiam: Peccatum *formaliter* non est corruptio seu privatio gratiae, sed tantum *demeritorie;* ideo enim solum est quod « gratia non stat cum peccato, quia Deus eam non « conservat propter demeritum peccantis ». Sententiam vero suam pluribus confirmat argumentis quorum vim frangere haud ita facile existimamus. Quae inter placet istud commemorare: « Potest « esse peccatum, etsi prius non fuisset gratia, igitur « illud non corrumpit gratiam. Item peccata non « distinguerentur specie, quia gratia, cuius formaliter sunt peccata privationes, non est alia et « alia specie. Item sequeretur quod post primum « peccatum mortale non posset homo iterum peccare, quia nullum peccatum posterius corrumperet gratiam ». Nihilominus ita sanctus Doctor peccatum definit: « est igitur peccatum actuale « privatio rectitudinis actualis, vel carentia iustitiae « actualis natae inesse cum debito habendi eam », quam definitionem auctoritate S. Augustini confirmat. Quaestio igitur metaphysica potius quam theologica dicenda est, ac nullum errorem theologicum continet.

39. In volumine 16 pag. 209 et vol. 23 pag. 562, haec Censor deprehendit: « De potentia absoluta Deus « posset dimittere culpam originalem non conferendo gratiam et hoc maxime cum gratia non *Animad. § 21.*

« opponatur formaliter peccato originali, nec modo « dimittatur peccatum illud per collationem gra- « tiae, nisi quia gratia in acceptione divina inclu- « dit aequivalentem iustitiam originalem, quae for- « maliter opponitur peccato originali ». — Haec propositio tres continet assertiones: 1ª De potentia absoluta Deus posset dimittere culpam originalem non conferendo gratiam; 2ª gratia non opponitur formaliter peccato originali; 3ª modo (idest in praesenti oeconomia salutis) peccatum originale dimittitur per collationem gratiae, quae in acceptatione divina includit aequivalentem iustitiam originalem, quae formaliter opponitur peccato originali.

40. De secunda assertione diximus in responsione ad praecedentem Adnotationem. — Ad primam quod attinet, est quaestio communis inter Scholasticos et respicit potentiam Dei absolutam, non ordinatam. Ex veterum Scholasticorum sententia iustitia originalis consistit non in gratia sanctificante sed in integritate et rectitudine habituali naturae: unde per peccatum originale, iuxta illorum sententiam, amittitur iustitia illa originalis quam Deus restituere posset, quin gratiam conferret. Quemamdmodum enim Deus potuisset hominem creare in pura rectitudine naturali, ita potuisset illi peccatum remittere, quin donaret gratiam quam modo largitur. — Quoad tertiam assertionem Scotus tenet in praesenti oeconomia peccatum originale remitti per collationem gratiae, quae virtualiter includit illam originalem iustitiam per peccatum amissam, quaeque formaliter opponitur peccato ipsi.

41. Quoad ea quae Scotus dicit de remissione peccati, attenta Dei potentia tum absoluta tum ordinata, nemo est qui ab eo dissentiri possit. Integrum cuique erit rationes a sancto Doctore allatas approbare, quod nempe gratia formaliter non opponitur peccato originali, bene vero iustitia originalis; at

vero nemo theologorum poterit censura notare huiusmodi rationes, quae Doctorem Subtilem ad conclusionem adducunt omnibus theologis communem et doctrinae Ecclesiae plane conformem. Eiusmodi enim est conclusio quam prodit in eodem vol. 23 pag. 563 : « *De potentia ordinata dico quod* « *modo secundum leges firmatas arbitrio sapientiae* « *suae, non potest, ipsis stantibus,* **auferre pec-** « **catum, nisi conferat gratiam**, *quia hoc* « *modo statuit sapientia eius ordinata, et sapientia* « *eius infallibilis, quod nullum sibi reconciliaret ad* « *pacem, nisi etiam ipso acceptato ad iustitiam* ».

42. In Vol. 23 pag. 544 haec adnotat Censor : « Pos- *Animad. § 22.*
« set Deus sine contradictione creare gratiam in « diabolo aut in anima existente in peccato mor- « tali, quia non est inter peccatum mortale et gra- « tiam formalis repugnantia ». — *In hac Distinc. I*, de qua deducta sunt obiecta verba, agitur de efficacia Sacramentorum, et Scotus ante quam propositum argumentum evolvat, ponit quaestionem genericam, an nempe creatura possit aliquo modo esse causa efficiens alicuius effectus producendi per creationem. De gratia et de peccato nonnisi incidentaliter hic loquitur Doctor Subtilis, scilicet quia, illi qui affirmant, inter alia, hoc utuntur syllogismo : qui potest annihilare, potest etiam creare ; atqui homo potest annihilare gratiam per peccatum ; ergo potest et illam creare. Cui ratiocinationi respondet Scotus dicens non esse peccatorem qui gratiam annihilat, sed Deum qui illam subtrahit : peccator igitur non est *causa formalis* amissionis gratiae, sed *demeritorie* tantum ac proinde non existit formalis contradictio inter peccatum et gratiam « posset enim Deus sine contradictione creare « gratiam in diabolo, aut in anima existente in « peccato mortali, ex quo est quid absolutum, nec « requiritur forma contraria necessario abiicienda ». Aliis verbis Scotus ostendore vult hominem neque

creare neque annihilare posse, ac *formalem* repugnantiam non esse inter peccatum et gratiam. Affert vero exemplum diaboli tum quia Deus per essentiae suae praesentiam naturalem etiam in daemonibus habitat, tum quia peccatori carenti gratia sanctificante dat gratiam actualem, quae incompossibilis non est cum peccato mortali.

43. Ceterum haec quaestio a Scholasticis agitata respicit *potentiam Dei absolutam*, minime vero id quod de facto est. Quare idem Scotus in vol. 18 pag. 206 aperte docet: « *Impossibile est autem aliquem Deo reconciliari et tamen manere in aliquo peccato* » et Vol. 24 pag. 273: « cum dicitur « quod culpa et gratia non sunt opposita formaliter, nec sibi invicem formaliter repugnantia ut « calidum et frigidum, album et nigrum: concedo « quod nullum supernaturale est formaliter oppositum alicui naturali, ut probat, quia non sunt « in eodem genere entis. Sed cum infers: *igitur « Deus posset de potentia absoluta infundere animae « gratiam manenti sub culpa*, **dico quod non sequitur, quia includeret contradictionem; ex hoc enim quod in aliquo « instanti maneret in culpa, esset non « amica, sed inimica Dei: et ex hoc « quod in eodem instanti sibi infunderetur gratia, esset amica, et ita simul esset, amica et non amica, quod « est impossibile, includens contradictionem.** De potentia tamen non solum absoluta, sed etiam ordinata, posset esse amica et « non amica pro alio et alio instanti ». Ex his quaenam sit sententia Doctoris subtilis plane patet: scilicet, gratia et culpa per se et formaliter vel immediate non sibi repugnant, quare de potentia Dei absoluta coniungi possunt. Sed mediate et ex consequentiis id impossibile est, quia secus anima esset simul amica et non amica Dei; quod

formaliter sibi contradicit, atque proinde eorum coniunctio de facto est impossibilis.

44. In hac adnotatione clarus theologus plura deprehendit quae, uti ipse ait « excludunt lumen gloriae et enervant necessitatem et valorem gratiae supernaturalis ». Hoc autem infert ex sequentibus locis : Vol. 14 pag. 171 — « *Appetitus naturalis cuiuscumque voluntatis est ad summam gratiam et gloriam » ;* vol. 21 pag. 305 — « *Per rationem naturalem potest probari naturam humanam esse capacem beatitudinis verae » ;* vol 21 pag. 404 ; vol. 24 pag. 673 — « *Natura humana ex puris naturalibus « est immediatum susceptivum beatitudinis* ». Tandem asserit Censor, « quamvis alibi doceat oppositum, tamen vol. 18 pag. 75 videtur docere hominem posse se praeparare ad gratiam ex naturalibus ». — Ad haec omnia unum opponam argumentum, hoc est auctoritatem divi Thomae. Obiectis enim locis agitur de inclinatione naturali hominis ad gloriam et summam felicitatem deque possibilitate eam assequendi. Nunc vero S. Thomas pluribus in locis naturale hoc desiderium homini inesse fatetur atque ex ratione probat possibilitatem visionis beatificae. Et sane haec legimus in p. I q. 12 a. 1 : « Inest homini naturale desiderium cogno- « scendi causam cum intuetur effectum et ex hoc « admiratio in hominibus consurgit. Si igitur in- « tellectus rationalis creaturae pertingere non pos- « sit ad primam causam rerum, remanebit inane « desiderium naturae. *Unde simpliciter concedendum « est quod beati Dei essentiam videant* ». Similiter in 3 Contra Gentes cap. 57 : « Cum autem impos- « sibile sit naturale desiderium esse inane, quod « quidem esset si non esset possibile pervenire ad « divinam substantiam intelligendam quod natura- « liter omnes mentes desiderant, *necesse est dicere « quod possibile est substantiam Dei videri per in- « tellectum et a substantiis intellectualibus separatis*

Animad. § *23.*

« *et ab animabus nostris* ». Et in eodem capite : « Omnis intellectus naturaliter desiderat divinae « substantiae visionem. Naturale autem desiderium « non potest esse inane. *Quilibet igitur intellectus* « *creatus potest pervenire ad divinae substantiae vi-* « *sionem non impediente inferioritate naturae* ».

45. Iam vero quis unquam ex collatis inter se hisce testimoniis Angelici Doctoris auderet inferre mentem Aquinatis fuisse denegare visioni beatificae rationem mysterii stricte dicti ? Auderetne egregius Censor asserere memorata S. Thomae loca " excludere lumen gloriae et enervare necessitatem et valorem gratiae supernaturalis ? " Quae vero Thomistae congerunt responsiones ad avertendam ab Angelico Doctore erroris notam in his locis, optime aptantur Scoto illumque eodem modo excusant.

46. Falso tandem atque iniuria idem egregius Censor Scotum incusat in vol. 18 pag. 75 dicere hominem posse se praeparare ad gratiam ex naturalibus. Sanctus enim Doctor loco citato loquitur non de *praeparatione*, sed de *dispositione* ad gratiam, quae a peccatore fieri potest considerando « peccatum « commissum ut offensivum Dei, et ut contra le« gem divinam, et ut aversivum a Deo, et ut impe« ditivum praemii, et ut inductivum supplicii » quibus sub rationibus potest peccator peccatum sic commissum detestari. « Iste autem motus, prose« quitur Doctor Subtilis, dicitur attritio et est *di-* « *spositio* sive meritum de congruo ad deletionem « peccati mortalis etc. ». Quid vero hac in doctrina est quod enervet necessitatem et valorem gratiae supernaturalis ? Num quod sanctus Doctor dicat haec omnia a peccatore fieri posse *ex naturalibus ?* At Scotus habet : *ex naturalibus* **cum influentia communi**, quae verba excludunt quidem gratiam sanctificantem necessariam esse ad hos actus praevios iustificationis, non vero influxum generalem vel dona illa supernaturalia ad detestationem

peccati ordinata. Ergo subtilis doctoris sententia minime ab ea dissentit quam alibi docuit (*Cfr. I Sent. d. 44, n. 4; dist. 20 quaest. unica; 2 sent. d. 9 quaest. 2, n. 14*).

47. Circa ea quae Scotus agit in eodem vol. 18 p. 474 theologus Censor adnotat illum negare *remissionem culpae* esse realem mutationem in anima, quare ipsi videtur conceptualista circa naturam peccati. — Ad rem animadvertimus: Iuxta communem theologorum sententiam a Conc. Tridentino firmatam, in iustificatione impii duplex actus consideratur; hoc est *peccati remissio et gratiae infusio.* Praeterea iustificatio mutationem inducit in anima, quae transit a statu peccati ad statum gratiae, a statu inimicitiae ad statum amicitiae Dei. Hoc posito, quaerunt theologi utrum haec mutatio sit *realis* an *rationis?* Scotus distinguit: *infusio gratiae* est mutatio *realis* seu positiva, cum homo accipiat per eam novam formam, novumque habitum supernaturalem, quo fit Deo dilectus, capax actus meritorii et vitae aeternae dignus. *Remissio* vero *culpae* est mutatio *rationis* seu *moralis.* Cum enim peccatum non sit *corruptio vel privatio alicuius gradus naturae, vel rectitudinis naturalis, vel cuiuscumque positivi proprii, sed* privatio et carentia iustitiae debitae quae sibi *debet inesse*, remissio peccati non est nisi sublatio huius privationis, coniuncta cum infusione gratiae. Sed haec sublatio est aliquid mere privativum, non positivum et reale, qualis est infusio illius novae formae, quae dicitur gratia. Ita sentit Scotus. ***Animad. § 24.***

48. Clarissimus Pesch de natura peccati agens ait: « Est inter Theologos disputatio magis metaphysica « quam theologica, *utrum peccatum, formaliter ut* « *peccatum, sit aliquid positivum an privatio* » (Praelect. Dogm. Vol. IX pag. 223 n. 470); atque sententiam suam exponit qua tenet peccatum ex parte ipsius actus esse aliquid positivum, malitiam autem

moralem formaliter consistere in privatione. Iuxta alios theologos est positiva tendentia actus in obiectum prohibitum; iuxta Scotum, quem sequuntur discipuli, necnon Suarez et Gregorius de Valentia, peccatum actuale formaliter consistit in privatione debitae rectitudinis sive naturalis sive supernaturalis. Peccatum vero habituale formaliter est ipsum peccatum actuale praeteritum sed moraliter perseverans, vi cuius peccator gratia privatur et obbligatur ad poenam, donec de illo poeniteat. Haec vero quantum discrepent ab errore Conceptualistarum qui tenent peccatum esse simplicem denominationem extrinsecam, quae ordinatur tantummodo ad poenam, nemo non videt, atque proinde iniuria Scotus conceptualismo accusatur.

49. Quod vero ad verba attinet quae sub eadem adnotatione commemorat theologus Censor, ex Vol. XVI pag. 491 desumpta, scilicet: « peccatum non est « formaliter privatio gratiae.... et ex hoc patet quod « inductio gratiae et cuiuslibet virtutis non est for« maliter expulsio culpae » ea recolantur quae in Animad. 20, 21 et 22 egimus. Ad rem etiam faciunt quae laudatus Pesch habet in op. cit. Vol. V pag. 189 n. 329: « Ex definitione (Conc. Trid.) duo vi« dentur effici: tum iustificationem fieri per infu« sionem gratiae, tum remissionem peccatorum « esse distinctam ab infusione gratiae, quia secun« dum Concilium iustificatio non est sola remissio « peccatorum sed etiam infusio gratiae. Hoc alte« rum videtur satis evidens, nam in alia providen« tia potuit Deus velle punire, etsi eum non resti« tueret in ordinem gratiae, sed eum relinqueret « in statu naturali, vel ei in hac vita non redde« ret habitum gratiae, sed in altera vita eum ad« mitteret ad visionem beatificam. In quantum e« nim de sola possibilitate conceptus quaestio est, « facile intelligitur posse Deum absolute delere ha« bitum gratiae in homine qui nullum peccatum

« commisit. Ergo ex opposito *remissio peccati est* « *remotio inordinationis*, in qua peccator est relate « ad Deum, *infusio* vero *gratiae est inductio formae* « *contrariae*; habentur igitur duae mutationes di« stinctae, sicut si res ex nigra fit alba ». — Quae verba nonnisi recens Sententiae Scoti dilucidatio cuique videntur.

50. Ulterius clarissimus theologus Censor falsam appellat hanc propositionem quam in Vol. 26 pag. 211 legit: « *Actus naturalis et actus meritorius non dif*« *ferunt specie, sed tantum per accidens* ». — Haec propositio, quae prouti a Censore enunciatur ad quemcumque actum in genere refertur, a Scoto applicatur actui dilectionis; titulus enim quaestionis est: « Utrum actus dilectionis naturalis et actus dilectionis meritoriae sint eiusdem speciei? ». Et explicata natura utriusque actus haec habet: « potest dici, « quod actus dilectionis naturalis et meritoriae non « differunt specie, et hoc loquendo **de per se dif**« **ferentia quam important per se ratio** « **naturalis et ratio meritorii**; non autem « per accidens, de differentia scilicet aliqua conco« mitante, puta differentia obiectorum, vel aliqua « tali, intelligendo etiam de differentia actus spe« cifica in esse naturae ».

51. Ad rectam horum verborum intelligentiam, haec animadvertenda sunt: 1. actus naturalis dilectionis Dei obiecto loco accipiendus est non tamquam elicitus *in puris naturalibus*, sed a fideli ornato gratia santificante, qui etiam naturaliter fertur in Deum; actus scilicet emissus in unione naturae et gratiae. Hoc ex eo patet quod Scotus in praesenti quaestione nunquam loquitur de homine in puris naturalibus constituto. 2. Insuper in eodem volumine pag. 202 idem Scotus asserit: « differen« tia specifica actuum praecipue accipitur ex per se « obiectis ». Iamvero sunt qui affirmant hos actus esse diversae speciei, quia procedunt ex diversis

principiis, idest unus ex voluntate agente virtute propria et alius mediante habitu supernaturali. Scotus contra, horum sententiam reiiciens, tenet hos actus *per se* non differre specie, ad meritum enim solummodo accedit supernaturalitas et dignitas actus *quod tamen non pertinet ad* **substantiam** *actus*. Differunt vero specie per accidens, vel quia actus meritorius habet pro principio elicitivo gratiam, actus vero naturalis naturam, vel quia primus est Deo acceptus, alter vero non: quae omnia constituunt quidem *differentiam extrinsecam*, *sed non* **substantialem**. Ergo ex Scoti sententia inter actum dilectionis naturalis et actum dilectionis meritoriae existit quidem *differentia specifica*, *attamen non est per se*, *substantialis et intrinseca*, *sed accidentalis et extrinseca*. Liberum est Censori hanc sententiam reiicere et contrariam amplecti; ut vero falsam appellet, veram suam probare debuisset, quod nec ipse fecit nec quisquam alius. Quia igitur in dubiis datur libertas, iniuria Scotum incriminari quis vellet ob suam sententiam.

52. In volumine 22 pag. 206 hoc Censor deprehendit: « Deus de potentia absoluta non necessitatur ut « infundat charitatem informantem animam ad hoc « ut iustificet impium » et potest « remittere cul- « pam sine gratia, de potentia absoluta » Vol. 23 pag. 392. — Omnis vero difficultas hac de re evanescit, si integer textus diligenter perpendatur, qui ita se habet: « Dico quod sicut in Deo ponitur « duplex potentia, scilicet ordinata et absoluta, ita « et duplex necessitas ei correspondens. Deus au- « tem *de potentia absoluta* non necessitatur ut in- « fundat charitatem informantem animam, ad hoc « ut iustificet impium, et receptet ipsum ad vitam « aeternam, quia potentiam suam non alligavit Sa- « cramentis, nec forte alicui formae creatae, quando « immediate possit per se, quidquid potest cum « causa secunda, quae non est essentia rei. **Po-**

Animad. § 26.

« **tentia tamen sua ordinata non iusti-**
« **ficat aliquem, nisi conferendo sibi**
« **charitatem, qua acceptatur ab ipso;**
« quae potentia dicitur ordinata, non secundum pro-
« pria principia practica, quia illa sunt necessaria,
« sed secundum suas leges quas statuit; contra quas
« potest de potentia absoluta, quod si alias statue-
« ret, et illae etiam leges essent rectae ». Eumdem sensum praeseferunt verba ex vol. 23 pag. 392 desumpta. Quis vero theologorum doctrinae tam clarae libenter non subscribat?

53. In eodem volumine 23 pag. 197, hanc propositionem nota dignam existimat clarus Censor: « Deus potest cooperari ad actum non cooperando ad rectitudinem eius, de potentia absoluta ». — Quid vero censura dignum hisce in verbis sit, non intelligo. *Animad.* § *27.*
« Deus, ait textus, de *potentia absoluta* potest esse
« causa non rectitudinis in actu, et tamen adhuc
« non esset causa peccati. Primum declaro, quia
« Deus potest conservare prius (idest actum) sine
« posteriori (hoc est praecisione facta ab eius recti-
« tudine), cum hoc possit voluntas nostra, igitur
« cum actus sit prior rectitudine vel curvitate in
« actu, Deus potest agere cooperando voluntati ad
« actum, et non ad rectitudinem ». Aliis verbis: sicut Deus cooperatur ad actum malum, non qua talem, sed qua actum materialem, ita de potentia absoluta potest cooperari ad actum bonum, praecisione facta a bonitate vel rectitudine ipsius actus.

54. Tandem in eodem volumine 23 pag. 491 haec alia adnotat Censor: « Non est contradictio quod aliquis habeat charitatem cum odio proximi ». — At contradictio haberetur si quis proximum amaret et eodem tempore odisset. Absolute autem loquendo quid prohibet quominus charitas Dei stare possit cum odio proximi? Nonne in veteri lege scriptum est: *diliges Dominum Deum tuum et odio habebis inimicum tuum?* Quamquam vero absolute loquendo *Animad.* § *28.*

non est contradictio quod aliquis habeat charita-
« tem cum odio proximi, tamen, prosequitur Scotus, « necessarium est de potentia ordinata Dei, « quia in illo praecepto (novae legis) prohibetur « ille actus malus, scilicet odire proximum, nam « simpliciter necessarium est non odire de potentia « ordinata et intellectu praecepti. Unde tantum est « necessarium ex praecepto et ordinatione, quia de « facto transgressione praecepti charitas cessat in « anima, quia tunc annihilat eam Deus ». Haec porro absoluta possibilitas coniungendi charitatem Dei cum odio proximi, fundatur in infinita distantia inter utrumque obiectum.

IV. — Circa Sacramenta.

Animad. § *29.*

55. Ad Sacramenta pergens, clarissimus Theologus Censor iam ab initio affirmat a Scoto *nimis enervari efficaciam Sacramentorum ita ut illius doctrina quoad hoc vocetur comuniter* **occasionalismus** *Sacramentalis, qui convenire non potest cum causalitate ex opere operato.* — Ut clarior evadat responsio ad hanc Censoris Adnotationem, nonnulla breviter praemittenda sunt: Summa doctrinae Concilii Tridentini de efficacia Sacramentorum, haec est: 1. Sacramenta sunt *verae causae* quae aliqua sua virtute conferunt gratiam. Non sunt ergo *pura signa*, uti volunt Protestantes, ad quorum praesentiam Deus produceret gratiam; nec sunt dumtaxat *conditio sine qua non*, quia haec in se non continet virtutem causandi effectum. 2. Sunt *causa instrumentalis*, non principalis: causa enim principalis physica est solus Deus, moralis sunt merita Christi. 3. Tandem sunt causa instrumentalis immedia-

ta, idest non dependent a fide vel aliqua alia dispositione suscipientis vel ministri, sed gratiam directe conferunt ex opere operato. Haec doctrina communis est omnium theologorum non solum qui scripserunt post Concilium Tridentinum, verum etiam omnium doctorum scholasticorum qui floruerunt ante Concilium.

56. Magna quaestio vero fuit et adhuc est *de natura istius causalitatis instrumentalis*, seu de modo quo Sacramenta, uti causae instrumentales, conferant gratiam; et hanc praecise controversiam attingunt verba Censoris in praesenti adnotatione. In hac quaestione duplex momentum pro diversitate temporum est distinguendum. Agitari enim coepit quaestio haec iam a tempore Hugonis a S. Victore (1141) et Guilelmi Parisiensis (1249); sed tunc temporis ita ponebatur: Utrum Sacramenta sint causa gratiae *proprie vel improprie*, seu lato sensu. « Omnes, inquit S. Thomas, coguntur ponere Sa« cramenta aliquo modo causas gratiae esse, pro« pter auctoritates, quae expresse dicunt. Sed di« versi diversimode sentiunt » (IV. d. I. q. 1. a. 4). Angelici Doctoris sententia ea fuisse videtur quam sic exponit clarus Hiquaeus, Scoti commentator, quamque suam fecit etiam clarissimus Card. Billot in tractatu de Ecclesiae Sacramentis T. I. pag. 73: « Hunc modum explicat Doctor (Scotus) in littera, « nempe Sacramenta causare gratiam, *non quod « attingant physicam entitatem gratiae* quae creatur, « sed *producant aliquam dispositionem praeviam et « quasi necessitantem ad gratiam,* ut characterem « in his quae characterem imprimunt, vel ornatum « quemdam spiritualem; hanc efficaciam habent sa« cramenta per modum instrumenti, ut elevantur « per communicationem virtutis impressae et re« ceptae in ipsis sacramentis . . . Hanc defendunt « omnes antiqui Thomistae usque ad Caietanum ».

57. S. Bonaventura (*4. d. 1. a. un. q. 4.*) expositis et

excussis variis sententiis, *pag. 23* ait: « Est etiam « aliorum magnorum circa hoc opinio dicentium, « quod in Sacramentis *non sit causalitas*, *neque* « *virtus aliqua, nec effectiva, nec dispositiva ad gra-* « *tiam*, quae sit qualitas vel proprietas aliqua ab- « soluta, sed per quamdam assistentiam. Sacra- « mento enim assistere divinam virtutem, quae est « causa gratiae, et fidem et devotionem suscipientis « quae disponit ad gratiam ... Dicunt ergo quod « Sacramenta dicuntur habere virtutem et dicuntur « causa et dicuntur efficere secundum communem « modum loquendi propter assistentiam divinae « virtutis ... Rursus dicunt, quod ex tali pactione « Dominus adstrinxit se quodam modo ad dandam « gratiam suscipienti Sacramentum, adstringit enim « quodam modo Deum ad conferendum, et ideo « dicitur habere virtutem ad efficiendum et etiam « disponendum ... Huic positioni pietas fidei non « repugnat, et ratio consentit. Nescio tamen, quae « sit verior, quia cum loquimur de his, quae sunt « miraculi, non multum adhaerendum est rationi. « Concedimus igitur, quod Sacramenta N. L. sunt « *causa* et *efficiunt* et disponunt, *extenso nomine;* « utrum autem plus habeant, non volo affirmare, « nec negare ».

58. De hac eadem controversia agit Scotus, qui postquam negaverit Sacramenta esse causas, quae per « *actionem proprie dictam efficiant gratiam aut dispositionem praeviam ad ipsam, vel causa per accidens*, ait: « Cum necessitas eorum, quae sunt ad « finem, sumatur a fine; et secundum omnes lo- « quentes de Sacramentis, finis Sacramenti est « gratia, vel aliquis effectus Dei invisibilis, dispo- « nens hominem ad salutem; et iste finis possit « sufficienter haberi eo modo quo habetur per Sa- « cramentum, absque hoc quod dicatur Sacramen- « tum habere aliquam *actionem proprie dictam*, sive « respectu dispositionis supernaturalis praeviae,

« quia illa etiam crearetur; sequitur quod non sit « ponenda talis actio, cum nec ista plura sint ne« cessaria, nec manifeste possibilia ».

« Qualiter autem cum hoc salvetur, quod Sacra« menta sint causa gratiae, non tantum per acci« dens, et quod per Sacramenta habetur gratia, « sicut Sancti loquuntur ».

« Dico breviter, quod omnis dispositio necessi« tans ad formam, quae non est ratio receptivi « (idest *suscipientis*) potest dici quodammodo causa « activa, sive causa instrumentalis respectu formae; « ipsum autem Sacramentum, sive susceptio Sa« cramenti, est talis dispositio et immediata, non « causans aliam mediam inter se et gratiam; ergo « ipsa potest dici quodammodo causa activa vel « instrumentalis respectu gratiae ». Et statim hoc illustrat exemplo. « Absolute conceditur, quod me« rita sunt causa instrumentalis respectu praemii; « et quod per merita acquiritur praemium; et ta« men meritum non causat active praemium in se, « nec aliquam dispositionem mediam, sed solum« modo ipsummet est dispositio praevia ad prae« mium... Est ergo modus iste, quod susceptio « Sacramenti est dispositio necessitans ad effectum « signatum per Sacramentum, non quidem per ali« quam formam intrinsecam, per quam necessario « causaret terminum vel aliquam dispositionem « praeviam, sed tantum per assistentiam Dei cau« santis illum effectum, non necessario absolute, « sed necessitate respiciente potentiam ordinatam; « disposuit enim universaliter, et de hoc Ecclesiam « certificavit, quod suscipienti tale sacramentum « ipse conferret effectum signatum » (Vol. 16 pag. 167).

9. Ex his igitur patet Scotum reiecisse quidem opinionem quod Sacramenta sint *causa proprie dicta*, idest *physica*, gratiae, vel *causa per accidens*, aut *causa dispositiva;* nemo tamen ex hoc inferre iure

potest Sacramenta, iuxta Subtilis sententiam, esse meram conditionem vel causam mere occasionalem. Nam aperte asserit ea esse **causam activam** vel **instrumentalem** non quatenus habeant *virtutem intrinsecam* quae gratiam causet, sed quatenus Deus statuerit ut, posito signo sacramentali et propter positionem signi, infallibiliter conferat gratiam.

60. Eadem quaestio etiam inter theologos posterioris aetatis producta est, qui tamen, doctrinam Patrum ac postea conciliorum Florentini ac Tridentini de sacramentorum causalitate pressius attingentes, distinxerunt causam instrumentalem in *physicam* et *moralem*. Pro prima certant Thomistae, pro altera Scotistae, necnon Canus, Ledesma, Vasquez, De Lugo, Lessius, Platel, Antoine aliique inter veteres rerum theologicarum scriptores; atque inter recentiores: Franzelin, Hurter, Sasse, Pesch, licet diversimode alius ab altero tradat causalitatis moralis notionem. Cum vero quaestio adhuc sub iudice maneat, patet clarissimi Censoris verba quibus affirmat *Scotum nimis enervare efficaciam Sacramentorum eiusque doctrinam communiter vocari occasionalismum sacramentalem*, nonnisi illius opinionem prodere, cum sententia communis theologorum, potius causalitati morali, cuius inventor Scotus habetur, favere videatur.

61. Tandem, ne quis auctoritatem Concilii Tridentini ad rem invocare audeat, meminisse iuvat quae de hac quaestione tradit clarus historiographus Conc. Trid. Card. Pallavicino: « Soave dice che i Dome« nicani si riscaldassero affinchè si condannasse « l'opinione dei Francescani, che i sacramenti non « siano cagioni fisiche, ma sol morali della grazia; « e che i legati non potendoli ben comprimere ne « dessero conto a Roma, rappresentando che con« venia metter freno alla licenza dei frati. *Il che « non ha veruna goccia di vero; imperocchè tutti*

« *saperano che il Conc. osservava per regola stabi-* « *lita di non pregiudicare ad alcuna sentenza per* « *cui militasse qualche nobile scuola delle cattoliche* » (l. 9. c. 4). Idque auctoritate sua confirmat etiam Eminus Card. Billot in loco citato, licet strenue tueatur genuinam sententiam S. Thomae.

In Vol. 23 pag. 556 Scotum a vero recessisse affirmat Censor, scribens: « *Sacramenta Veteris Legis* *Animad. § 30.* « *differunt a Sacramentis Novae Legis per dare* « *maiorem gratiam et minorem gratiam* ». — At quaenam vere fuerit Subtilis Doctoris mens hac super re ex integro textu apparet. Quamquam enim dicit: « Sacramenta Veteris Legis non differunt a « Sacramentis novae legis per dare gratiam et non « dare gratiam, sed per dare maiorem gratiam et « minorem gratiam », quo modo verba illa intelligenda sint per posteriora statim indicat: « **Cir-** « **cumcisio enim, et alia Sacramenta** « **legalia dabant gratiam, sed non tan-** « **tam sicut Baptismus, et alia sacra-** « **menta novae legis. Caeremonialia** « **tamen, et oblationes veteris legis per** « **dare et non dare gratiam,** *quia caere-* « *monialia illa, quae non sunt sacramenta, ut im-* « *molare victimas pacificas, orare et ieiunare, et* « *huiusmodi, nec ex pactione divina, nec etiam ex* « *virtute propria conferebant gratiam* ». Doctor Subtilis igitur unam *Circumcisionem* nominat quae differt a sacramentis novae legis per dationem minoris gratiae, dum Caeremonialia ab his differe affirmat quia non dant gratiam ex opere operato.

Ceterum praetereundum haud est obiecta verba scripta esse in *Reportata Parisiensia*, quae sunt veluti summarium Librorum Sententiarum. Quaenam igitur vere fuerit sancti Doctoris sententia hac de re melius apparebit ex collatione cum respondentibus locis. Nunc autem in Vol. 16 pag. 135, haec docet: « *Loquendo de Sacramento proprie dicto*

« *dico quod* **debuit esse aliud et aliud in** « **alia et alia lege ;** *et hoc non curando hic de* « *aliis sacramentis, saltem hoc fuit congruum de eo,* « *quod instituebatur contra morbum originalis pec-* « *cati* ». Et clarius in eodem volumine pag. 221 : « *In illis conferebatur gratia per modum meriti*, licet « aliqui negare videantur, quod in talibus ex cha- « ritate factis conferretur gratia. Hoc enim videtur « nimis durum, scilicet quod aliquis ex charitate « et obedientia sit servans Dei praeceptum, et non « mereatur... Ergo Iudaei, ex charitate observan- « tes sacramenta improprie dicta, meruerunt gra- « tiam, vel augmentum eius, si eam jam habebant, « *sed non propter hoc illa erant proprie Sacramenta.* « **Sacramentum enim ex virtute operis** « **operati confert gratiam.** *ita quod non* « *requiritur ibi bonus motus interior, qui mereatur* « *gratiam, sed sufficit, quod suscipiens non ponat* « *obicem.* Sed in illis actibus (idest caeremonialibus) « non conferebatur ex hoc solo quod offerens non « ponat obicem, sed tantum conferebatur ex virtute « boni motus interioris, tamquam meriti ». Et ipsa *Circumcisio* « non contulit gratiam ut dispositionem « immediatam ad gloriam, quia non aperuit januam « sed non fuit ex defectu eius, sed quia fluxit « tempore, quo pretium non fuit solutum ». Et in hoc Scotus consonat cum S. Thoma dicente « Alii « dicunt et melius, quod nullo modo sacramenta « ipsa veteris legis, id est opus operatum in eis, « gratiam conferebant, excepta circumcisione ». (Sent. IV, dist. 1, quaest. 1, art. IV sol. 1).

64. Ulterius Censor adnotat a Scoto doceri gratiam creari in anima et quia nulla creatura cooperari potest ad creationem ideo nec sacramenta ad col- *Animad. § 31.* lationem gratiae. « In qua theoria, concludit Censor, « latet confusio conceptuum theologicorum et non « recte videtur tradi theologia Sacramentalis ». — Scotus vere tenet gratiam creari in anima, sicut

creatur anima in homine, et nullam creaturam cooperari ad creationem, cum creatio sit actio exclusiva omnipotentiae divinae, in qua proinde nulla res creata concurrere potest tamquam causa efficiens, licet concurrere possit tamquam causa instrumentalis. Qua in re non dissentit a S. Thoma aiente: « *Bona gratuita non educuntur quasi de po-* « *tentia naturae; quia nihil est in potentia naturali* « *quod per agens naturale educi non posset et ideo* « *origo gratiae est* **per novam infusionem** » (1. d. 27. q. 2. art. 2); et in Summa Theologica (1.a 1.ae q. 62 a. I): « *Patet igitur quod virtutes* « *in nobis sunt a natura...* **praeter virtutes** « **theologicas quae sunt totaliter ab** « **extrinseco** ». Et ita pariter 2. II de potentia art. 8 ad 3; II d. 27 a. 2: S. Th. 1.a 1.ae q. 110 art. 2 ad 3.

65. Attamen, ex Scoti sententia, si creatura non potest cooperari efficienter, bene potest dispositive. Ideoque cum gratia immediate a Deo creetur, Ipsi soli competit vera causalitas. « Ita, tradit in loco ci- « tato, potest vere dici sacramentum Baptismi dispo- « sitive agere ad gratiam, quia sic pepigit Deus « cum Ecclesia, ut quandocumque esset tale signum « efficaciter signans signatum, quod datur in Sacra- « mento, Deus assisteret ad dandum quod signum « significat »; et pag. 556: « Sacramenta dicuntur « continere gratiam, ut signa effectiva et vere de- « monstrativa in signato, non quia dant gratiam « vel quia ab eis sit gratia, sed a Deo per ipsa, « sicut dicit Magister ». Quid vero in hac theoria est quod opponatur praeceptis rectae theologiae sacramentalis? Adest confusio conceptuum theologicorum, dicit Censor. Sed ecquis unquam somniavit doctrinam alicuius Servi Dei semper scriptam esse debere clare et distincte? Num Censor, si sententiam suam dicere deberet de doctrina S. Pauli Ap., exprobare illi auderet quod in suis scriptis

quaedam difficilia intellectu scripserit? Et nihilominus quaedam huiusmodi illum scripsisse est de fide quum hoc testetur S. Petrus in II Ep. cap. 3 v. 16.

imad. § 32.

66. In vol. 16 pag. 489 claras Censor videt fortassis rigorismum moralem in his verbis: « *Crederem religiose fieri si ipsi parentes cogerentur minis et terroribus ad suscipiendum baptismum et ad conservandum postea susceptum* ... »; quae contra nonnisi doctrinam et praxim communem in medio aevo, inter christianas respublicas, innuunt. Illud enim decere putabant Principem, cui in regimine reipublicae tales erant subditi et qui omnibus mediis tueri debebat bonum suorum subditorum et supremum Dei in omnes dominium.

imad. § 33.

67. In vol. 2 pag. 389, 390 haec verba deprehendit: « *Impossibile est accidens separari a suo subiecto. Per miraculum eucharisticum mutatur natura accidentis ac si natura humana mutaretur in naturam asininam* ». — Quibus verbis Doctor Subtilis dicere videtur quod accidens in Sacramento altaris iam non est accidens sed substantia. Eamdem adnotationem facit clarissimus alter Theologus Censor, qui tamen rectam verborum interpretationem dare non omittit, haec scribens: « Haec propositio videtur primo intuitu theologice falsa, prouti sonabat tempore quo a Subtili Doctore scripta fuit. Sed medicabilistamen est. *Per illam enim Doctor Subtilis non negat accidens manere sine subiecto in Sacramento altaris, sed potius, hoc supposito, ulterius inquirit utrum accidens sic separatum a sua substantia debeat dici adhuc vere et proprie accidens. In hac secunda quaestione,* **quae mere philosophica videtur**, *amplectitur solutiotionem negativam. Ego* (velim egregius primus Censor haec verba diligenter consideret), *utut in hoc puncto a Doctore Subtili vehementer dissentiam,* **non auderem tamen ei notam ullam inurere** » (Animad. pag. 20).

68. Ad haec clarissimi Censoris verba liceat nobis addere, oppositam propositionem inveniri *in Libris Physicorum Aristotelis* quorum Commentarium an Scoto sit adscribendum ipse Waddingus dubitavit. Quidquid vero hac de re sit, argumentum Commentarii est expositio doctrinae philosophicae ac empiricae Aristotelis, in qua auctor raro exprimit mentem suam, res autem fidei aut nunquam aut nonnisi per incidens tangit. Id profecto factum est in propositione de qua disceptamus, quae desumpta est ex quaestione VII *in Lib. I Physicorum*, in qua Commentator inquirit « *utrum esse dicatur univoce de* « *substantia et accidente, et de esse accidentium* ». Verba autem « *impossibile est accidens separari a* « *subiecto* » quae leguntur in pag. 389 col. I, ex contextu, Aristoteli tribuenda videntur, et nonnisi arbitratu suo primus Censor ea coniungit cum iis quae leguntur in pag. 390 col. I, quae ita sonant: « per tale miraculum (eucharisticum) mutatur na- « tura accidentis, igitur mutatur nomen et definitio « ipsius; nam accidenti sic separato competunt « conditiones, ut quod potest nutrire, augmentare, « ex ipso potest effici aliud, et ita de aliis, et ita « mutatur natura accidentis, ac si natura humana « mutaretur in naturam asininam ».

69. Sed tandem quaerere possum a clarissimo Censore: cur, quaenam fuerit hac de re mens ac docrina Scoti, ex obscuro hoc et incerti auctoris libro, potius quam ex aliis locis in quibus argumentum ex professo tractatur, colligere velit? In volumine 17 est ampla et plana dissertatio de Eucharistia in qua Scotus aperte impugnat sententiam, quae tenet *accidens separatum a substantia* **recipere novum esse**; item in volumine 24, 187 paginae impenduntur in tractationem de Eucharistia, et pag. 134 expressis verbis validisque rationibus Doctor Subtilis defendit hanc doctrinam: « *conceditur de facto ab* « *omnibus Doctoribus*, **quod accidens est hic**

« **sine subiecto**. *Sed de modo possibilitatis eius,* « *quo modo scilicet possit hoc esse, diversimode di-* « *cunt, ut patebit inferius* ». Poteratne Doctor Subtilis clarioribus verbis sententiam suam prodere? Ecquid vero hic est quod improbandum videatur?

70. Ad ea quae idem Censor animadvertit in vol. 2 pag. 397, scilicet: « *Quantitas est dispositio inhae-* « *rens substantiae, quam dispositionem esse separatam* « *a substantia, implicat contradictionem* » qua supposita doctrina, uti Censor affirmat, in discrimen ponitur explicatio mysterii transustantiationis, commemorare sufficiat quae ad rem tradit alter Theologus Censor, qui, eadem sibi proposita difficultate, sic respondit : « Licet haec assertio gravior videa- « tur quam praecedens, attamen excusationem me- « retur apud illum auctorem qui non solum in aliis « operibus sed hoc etiam in loco, videlicet in quae- « stione immediate praecedenti ad quam provocat, « aperte admittit accidentia posse per miraculum « manere sine subiecto. Hoc autem quod dico, « facile patebit consideranti »:

1. « a Doctore subtili data opera demonstrari (in « quaestione 8.) quantitatem esse accidens distinctum « a substantia.

2. « ab eodem Doctore admitti separabilitatem « accidentium a substantia (in quaestione 7. ad « quam provocat in questione 8.) per miraculum « quod fit in Sacramento altaris ».

« Unde non *videtur damnandus Doctor eo quod* « *simul dixerit implicari contradictionem in hoc* « *quod quantitas separatur a substantia.* Ille enim « qui tenet quantitatem separatam a substantia iam « non perseverare in esse accidentis sed eo ipso « evadere substantiam, eo ipso debet affirmare se- « parationem quantitatis a substantia, qua peracta « quantitas pergat in suo esse accidentis, esse « aliquid impossibile. *Atque hoc dictum erit quidem* « *philosophice erroneum,* **sed nullam censu-**

« **ram theologicam merebitur** nisi quis « per illud negare intendat miraculum euchari- « sticum separationis quantitatis a substantia. Haec « certe non est mens Scoti qui e contra in hoc « ipso loco diserte affirmat tale miraculum esse « possibile, uti in verbis allatis in animadversione « praecedenti ». (Animad. pag. 21).

71. Sub. n. 34 plura egregius Censor recenset quae de praesentia reali a Scoto haud recte scripta videntur. Antequam singula loca obiecta perpendamus, iuvat breviter exquirere quaenam fuerit eius doctrina ad rem. In volumine 17, quod Censor commemorat, pag. 153, haec habet Doctor Subtilis: « *Dico quod* « *corpus Christi* **esse ibi vere realiter est** « **simpliciter de substantia fidei,** *eo modo* « *quo veritas alicuius Sacramenti pertinet ad arti-* « *culos fidei. Ista enim veritas a principio fuit ex-* « *presse tradita, ex quo Eucharistia fuit instituta* »: et, expositis argumentis quum ex S. Scriptura, tum ex traditione, suam demonstrationem ita concludit: « *unde* **est simpliciter haeresis hodie** « **sentire, quod non sit ibi realiter ve-** « **rum corpus Christi** ». Posita autem ac probata fundamentali illa veritate, eam illustrat, et ante omnia inquirit in modum, quo Christus fit praesens in Eucharistia. Exponens obscuram nonnullorum opinionem, iuxta quos Christus in Eucharistia fit praesens non per mutationem sui sed per mutationem panis in corpus Christi, illam impugnat, quinque allatis argumentis, quorum primum concludit verbis a Censore obiectis, hoc est: « Praesentia corporis Christi non habetur per se « per illam mutationem quae est conversio vel tran- « substantiatio, sed solum substantia corporis Chri- « sti, quae non est sua praesentia » quorum sensus est: alia est quaestio de conversione substantiae, alia de praesentia, seu de modo praesentiae Christi: conversio respicit substantiam, non vero modum

Animad. § *34.*

quo Christus e coelo fit praesens in Sacramento Altaris.

72. Reiecta igitur illa sententia, Doctor Subtilis pag. 177-179 suam prodit, quae breviter est sequens: Praesentia realis non implicat contradictionem in natura, cum nihil prohibeat quominus Deus det *novum ubi* alicui rei. Porro hoc fit in Eucharistia in qua Iesus Christus, qui est in coelo, acquirit novam praesentiam sacramentalem. Haec mutatio non est *deperditiva*, cum Christus non relinquat locum ubi prius erat, uti fit in mutationibus localibus, sed *acquisitiva*, quatenus nempe acquirit novam praesentiam ubi sunt species sacramentales. Ita breviter sentit Scotus, quem tamen praecessit S. Bonaventura scribens: « .... *fit, ut, quod erat alicubi, sine mutatione sit alibi* » (4. d. 10. p. 2. a. 1. q. 1.). — Nostrum non est hanc sententiam defendere vel improbare, illud tamen praeterire non possumus, scilicet verba a Censore relata non respicere *factum* praesentiae realis, sed *modum* quo Christus fit praesens in Eucharistia. Hanc distinctionem Doctor Subtilis clarissime ponit aiens: « *alia est propositio*: **Christus realiter prae-** « **sens est sub speciebus sacramenta-** « **libus**, *et alia est quaestio*: **quomodo Chri-** « **stus fit praesens sub speciebus sacra-** « **mentalibus** », seu quo modo e coelo adduci possit in altare, in quo novam praesentiam acquirit. Prima propositio Scoto est articulus fidei: de altera quaestione disputatur inter Scolasticos et Theologos posteriores. Sententiam Scoti, praeter Scotistas, sequuntur Toletus, Bellarminus, Gregorius de Valentia, Vasquez, De Lugo, Pesch, aliique, licet diversus sit inter eos loquendi modus. Censor abundet in sensu suo: meminerit tamen nemini licere alienam sententiam, ex eo quod a sua differat, theologica censura notare.

73. In volumine 24 pag. 120, Censor haec verba ad-

notat: *Substantia panis transustantiari in corpus « Christi non propter rationes dictas quae non co- « gunt, sed propter auctoritatem Ecclesiae* ». — Loco citato Doctor Subtilis duplicem commemorat sententiam: primam dicentium in Eucharistia remanere substantiam panis; alteram dicentium substantiam panis annihilari, vel resolvi in materiam primam. Primam sententiam Scotus tamquam haereticam reiicit; rationes quae pro altera hinc inde afferuntur uti cogentes haud habet, atque proinde ad auctoritatem Ecclesiae confugit his verbis: « Te- « neo igitur istam opinionem ibi positam ab Inno- « centio, quod *substantia panis non maneat*, sed « quod transubstantiatur in corpus Christi, non pro- « pter rationes praedictas, quia non cogunt.... te- « nendum est quod *substantia panis desinit esse ibi « virtute conversionis*, et quod desitio eius est con- « versio in corpus Christi. Et hoc *principaliter* te- « neo propter auctoritatem Ecclesiae, quae non « errat in his, quae sunt fidei vel morum, cuius « Vicario primo dixit Christus: *Ecce rogavi pro te « Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando « conversus confirma fratres tuos*. Ecclesia autem « tenet non ibi manere substantiam panis et vini, « patet *Extra de summ. Trin. et fid. cath....* » et affert deinde auctoritatem Ss. Ambrosii et Augustini. Estne aliquis qui Scotum fideismi ex hoc accusare audeat? Ecquis unquam hac in re praetermittere potuit Ecclesiae auctoritatem? Nemo theologorum explicare hactenus potuit altum mysterium de modo quo, facta consecratione, cesset substantia panis et vini. Optimo iure igitur Scotus, omissis inutilibus quaestionibus, doctrinae infallibili Ecclesiae pure et simpliciter inhaeret.

. Tandem adnotat Censor Scotum in volumime 17 pag. 353, 376 docere transubstantiationem non probari ex Sacra Scriptura, sed tantum ex auctoritate Ecclesiae. — Ad hanc adnotationem animadver-

timus 1°. verba, *transubstantiationem non probari ex S. Scriptura*, non significare dogma transubstantiationis, hoc est praesentiam realem, non probari ex S. Scriptura, hoc enim Scotus iam demonstravit; sed referri *ad desitionem substantiae panis et vini*, uti patet ex contextu; 2°. Scotus non affirmat simpliciter *non probari*, sed habet: *non videtur expresse haberi*, quod non parum differt; 3°. tandem si intellectus noster finitus non potest ex sese deducere veritates implicitas ex veritatibus explicite contentis in S. Scriptura, id potest Ecclesia. — Hisce animadversis, perpendantur verba Doctoris Subtilis: pag. 353 dicit: « *Nihil est tenendum de substantia* « *fidei, nisi quod potest expresse haberi de Scriptura*, « vel expresse declaratum est per Ecclesiam, vel « evidenter sequitur ex aliquo plane contento in « Scriptura, *vel plane determinatur ab Ecclesia*.... « *Nunc autem* **non videtur expresse ha-** « **beri non esse substantiam panis....** « *Ergo etc.* »; et pag. 376: « dicendum quod Ec- « clesia declaravit istum intellectum (idest panis « convertitur in corpus Christi) esse de veritate « fidei in illo Symbolo edito ab Innocentio III in « Concilio Lateranensi *Firmiter credimus* etc.... ». Quaestio, ceu patet, est mere exegetica, non dogmatica. Ex eo enim quod aliqua veritas non contineatur expresse in S. Scriptura, non sequitur quod habenda non sit uti revelata. Deduci namque potest ex alia veritate expresse ibi contenta, vel transmitti per traditionem. Et hoc adstruit Scotus in praesenti materia.

75. Ad rem haec etiam animadvertere iuvat: Nostro Censori iam praeiverat Professor Anglicanus Pusey, de quo Card. Franzelin (De SS. Eucharistiae Sacramento et Sacrificio, Thesi XIV pag. 205) haec habet: « *Scoti* doctrinam Professor Anglicanus « omnium calumniosissime tractat. Difficultates e- « nim quas Scotus sibi solvendas obiicit, ita ille

« proponit, ut lectores existimare debeant, in iis « ipsius Scoti sententiam contineri. At vero Scotus « in solutione difficultatum, et in expositione sen- « tentiae tenendae probat ex communi consensu « theologorum, ex doctrina Patrum, ex diserta de- « finitione Concilii Lateranensis credendum omni- « no esse dogma transubstantiationis... ». Ac Thesi sequenti idem Emus Theologus, demonstrans dogma Transubstantiationis ex ipsis verbis consecratoriis, inter alia haec habet : « Hoc sensu intelligendi « sunt Theologi, si qui dicunt, ex verbis Scripturae « transubstantiationem demonstrari non posse, ut « Scotus, Durandus, Paludanus. Sibi volunt nimirum, « non posse ex solis verbis per se inspectis demon- « strari hanc significationem transubstantiationis, « quia eis videntur verba admittere quidem hunc « sensum, non tamen hunc solum ; subesse autem « eis hunc et non alium sensum fatentur con- « stare ex traditione et auctoritate Ecclesiae, « quae in intelligendo vero sensu Scripturarum « sub directione Spiritus Sancti falli non po- « test.... ». Immo Concilii Tridentini declaratio circa sensum verborum consecrationis praecursorem habuit ipsum Scotum, qui, uti refert ipse Franzelin, in 4 Sent. Dist. II, q. 2, n. 15 iam dixerat : « Si quaeras, quare voluit Ecclesia eligere istum « intellectum ita difficilem huius articuli cum Verba « Scripturae possent salvari secundum intellectum « facilem et veriorem secundum apparentiam de « hoc articulo ; *dico quod eo spiritu expositae sunt* « *Scripturae quo conditae.... et ideo* (Ecclesia) *hunc* « *intellectum eligit quia verus est* ». Estne aliquis theologorum qui post Concilium Tridentinum verba laudatoria in ipsum Tridentinum scripserit pulchriora quam haec verba Scoti ?

76. Tandem, nullatenus obest orthodoxiae Scoti quod ipse dubitanter dixerit transubstantiationem *non expresse haberi in Scriptura*, dum e contra Triden-

tinum (Sess. XIII, cap. 4) affirmat persuasionem Ecclesiae circa hoc mysterium ortam fuisse ex illis verbis Christi instituentis hoc Sacramentum. Non obest, inquam, orthodoxiae Scoti, eadem ratione qua nunquam obfuit nec unquam in futurum obesse poterit orthodoxiae S. Thomae quod ipse non viderit expresse significatam Immaculatam Conceptionem B. M. V. in illis locis Sapientialium qui ab eodem Doctore Angelico citantur in 3 p. q. 27, a. 2 ad quos tamen provocat Pius IX in Bulla de Immaculato Conceptu et quidem tamquam ad locos adhiberi solitos ab Ecclesia in ecclesiasticis officiis et in sacra liturgia utpote qui hanc veritatem contineant. Et huius rei ratio est quia Ecclesia, quae infallibilis est tum in docendo tum in credendo, potuit quidem optime videre in verbis Sacrae Scripturae illud quod privati Doctores videre non potuerunt, vel saltem tamquam aliquid obscure et implicite tantum contentum viderunt. Tandem haud praetereundum videtur Ambrosium Catharinum, olim a Paulo III inter theologos pontificios Concilii Tridentini cooptatum, acerrime hanc tuitum fuisse sententiam quae hic Doctori Subtili exprobratur, uti videre est in fine primi opusculi quod exaravit De Verbis quibus Christus confecit Eucharistiae Sacramentum; nec tamen vir fidei suspectae habitus est, immo vero ab eodem Paulo III post Concilium Tridentinum ad Episcopatum evectus est.

77. In volumine 24 pag. 125, haec verba adnotat Censor egregius, quibus Scotus docere videtur « *terminum primum conversionis esse aliquod compositum ex materia et forma substantiali non* (rationali) *intellectiva* », ex quo sequitur, ait Censor, panem non converti directe in corpus humanum. — Omnes Theologi docent cum S. Thoma: « Quia « conversio panis et vini non terminatur ad divinitatem vel animam Christi, consequens est, quod

nimad. § 35.

« divinitas vel anima Christi non sit in hoc Sa« cramento ex vi sacramenti, sed ex reali conco« mitantia ». Et Concilium Tridentinum, *sess. 13, cap. 3*: « sed corpus quidem sub specie panis et « sanguinem sub vini specie ex *vi verborum*, ipsum « autem corpus sub specie vini et sanguinem sub « specie panis, *animamque sub utraque, vi naturalis « illius conversionis et concomitantiae,* qua partes « Christi inter se copulantur ». Et Scotus ait in loco citato: « Primus terminus huius conversionis « est aliquod compositum ex materia et forma « substantiali non intellectiva ». Sub aliis verbis eadem exprimitur doctrina communis.

78. Differentia, si qua est, respicit quaestionem agitatam inter Theologos: an nempe vi verborum consecrationis terminus conversionis sit compositum ex materia et anima intellectiva quae sit forma corporis, vel materia et forma corporeitatis. Scotus secundam sententiam tuetur, quam ita exprimit: « dico, igitur quod primus terminus huius conver« sionis est aliquod compositum ex materia et « forma substantiali non intellectiva, sed aliqua « forma mixti, per quam corpus est in proxima « dispositione ut animetur, et tale compositum est « in genere Substantiae, non sicut completum in« dividuum corporis, ut corpus est quoddam genus « subalternum; sed corpus quod est altera pars « compositi hominis, pars, inquam, potentialis re« spectu animae intellectivae, quia per illam for« mam corpoream organicam' ultimate disponitur « materia ad susceptionem animae intellectivae, « qua induta totum tunc est in genere et in specie « animalis rationalis, et in corpus isto modo sumptum « totaliter convertitur substantia panis, tamquam « in primum terminum conversionis ». — Agitur, uti vides, de re controversa, et integrum est cuique a Doctore Subtili dissentire, nemini tamen licet

oppositam sententiam tenentem ex hoc ipso damnare.

79. In volumine 17 pag. 67 Censor haec verba adnotat, quibus Scotus male videtur explicare valorem formae Sacramenti eucharistici: « In ultimo instanti « prolationis primo secundum ordinem naturae est « conceptus propositionis ut neuter; secundo ad « illum sequitur operatio divina causans illud quod « significat omnino; tertio sequitur veritas huius « conceptus ». — Haec quaestio, desumpta ex 4 Sent. D. VIII respicit formam consecrationis, nihilque Censor in ea notandum invenit nisi citata verba quae, uti affirmat, male explicant valorem formae Sacramenti. Sed de quo valore Scotus loquitur? Nec de dogmatico loquitur, nec de reali, sed tantummodo de logico, vel melius de significatione grammaticali verborum **Hoc**... **Hic**... Sed videamus quaenam sit mens Doctoris.

nimad. § *36.*

80. Post quam disquisitiones theologorum tunc temporis circa verba consecrationis retulit, ita concludit pag. 66: « Propter hoc dico, quod tota illa disputatio in tredecim conclusionibus, et earum probationibus vel improbationibus, subtilis est, et « Logica de veritate huius propositionis salvanda. « Sed Theologo sufficit, quod ista oratio (idest « forma consecrationis) ut est tale signum sensibile institutum a Deo, est instrumentum Dei ad « consecrationem illam, quae est in ultimo instanti, « ita quod Deus assistit sibi, tamquam dispositioni « praeviae efficaci, ut ea completa, causet talem « effectum invisibilem ». Hoc, pro Scoto, est essentiale: coetera sunt mera et speculativa disquisitio.

81. Verba, autem, quae leguntur pagina sequenti, non sunt adeo absoluta, qualia referuntur a Censore. En uti sonant: « **Posset quidem hic aliter** « **distingui, scilicet quod** in ultimo instanti « prolationis primo secundum ordinem naturae est « conceptus propositionis ut neuter; secundum ad

« illum sequitur operatio divina causans illud, quod « omnino designat; tertio sequitur veritas huius « conceptus: et sic non tantum oratio et vocaliter « et continue prolata, prior est veritate, sed etiam « ut habens suum conceptum proprium, licet non « ut verum. Sed istud significat quaedam pertinen- « tia ad illam disputationem Logicam de veritate « propositionis, vel de conceptu propositionis pro « ultimo instanti, et nihil necessarium facit ad istam « orationem ut sacramentalis, quia ille conceptus, « quia ponitur haberi per istam in ultimo instanti, « nullo modo est instrumentum Dei ad illam actio- « nem Dei, quae ponitur sequi in secundo instanti « naturae, quia Deus ad operationem suam non « utitur aliquo sacramentali, nisi sensibili ».

« Sic ergo breviter sufficiat ministro non dispu- « tanti tunc, pro quo intelligitur oratio, intendere « proferre istam orationem, eo modo quo Christus « instituit eam proferendam; et sic habetur intentio « debita, et instrumentum debitum, scilicet illa « oratio prolata, cui instrumento a tali agente « adhibito, Deus assistit ad causandum in ultimo « instante talem effectum ». En explicatio et conclusio practica Scoti.

82. Ad ea quae Censor adnotat sub n. 37 nulla aptior est responsio quam textus ipse, ex quo clare patet Doctoris Subtilis mens. In volumine enim 24 pag. 17, *Animad. § 37.* quod primo commemorat egregius Censor, haec habet Scotus: « Sed de forma consecrationis sangui- « nis est magis dubium. Primo, cum non habea- « mus formam traditam a Christo, esset dubium an « aliquis utens forma consecrationis posita in ali- « quo Evangelio peccaret, et aliquid faceret. *Dicunt « quidam quod nihil faceret* utens illis verbis, sed « tantum utens verbis, quibus modo utimur. Et ra- « tio est, quia Evangelistae non intendebant per « illa verba tradere nobis formam consecrationis « sanguinis sed tantum narrare historiam. *Alii di-*

« *cunt quod sic*, nam Graeci non habent istam for « mam consecrationis sanguinis, quam habemus nos, « et tamen vere conficiunt, et addunt quod quae- « cumque forma verborum cuiuscumque Evangeli- « stae sufficit ad consecrationem sanguinis... ». Huc usque auctor dubium aliorumque sententiam proposuit. Audiamus modo sententiam suam. « Respon- « deo igitur breviter quantum ad hunc articulum, « quod Christus non instituit nobis in canone, quae « verba essent praecise de forma consecrationis « sanguinis, nec Ecclesia de hoc determinat (idest « quid praecise Christus statuerit). *Ideo periculum* « *est dicere illa verba esse praecise de forma conse-* « *crationis sanguinis, illa non*, quia periculum est as- « serere quod nescitur, sed non est periculum igno- « rare, quod non determinatur ». En vera Doctoris Subtilis sententiam. Ecquid improbandum in ea est ?

83. In volumine 17 pag. 43, quod Censor secundo loco commemorat, clarius etiam scribit Scotus : « De « verbis autem consecrationis sanguinis est dubium « magis, quantum ad duo. Primum est, quia for- « mam, qua utimur, nullus Evangelistarum recitat, « ideo non videtur ex Evangelio certa. Graeci « etiam alia forma utuntur, dicentes : **Hic est** « **sanguis** etc., et per consequens, forma nostra « non est praecisa ».

« **Respondeo, non dubito, quin forma** « **nostra sit certa secundum auctori-** « **tatem illam Innocentii, quia multa** « **tradita sunt ecclesiae ab Apostolis,** « **quae tamen non sic scripta sunt in** « **Evangeliis**. Nec obstant de Evangelistis, quia « intendebant narrare rem gestam, non autem tra- « dere formam consecrandi. Sed et de forma Graeco- « rum Ecclesia non dicit eos non conficere. Unde « dicunt aliqui, quod forma eorum, et forma no- « stra, et quaecumque scripta in Evangeliis, suffi-

« ciens est ad consecrationem ; tamen in Ecclesia « Romana, est de necessitate ministri uti forma, qua « utimur ».

« Secundum dubium est an ad formam qua uti- « mur, pertineant omnia verba a loco isto : **simili** « **modo, usque** ibi : **unde et memores.** « Et communiter tenetur, quod ista : *hoc facite in* « *meam commemorationem*, non pertineant ad illam « formam hoc modo ». — Et concludit hanc disceptationem : « quod ergo erit consilium? *Dico, quod* « *Sacerdos intendens facere quod facit Ecclesia legens* « *distincte verba Canonis a principio usque ad fi-* « *nem, vere conficit, nec est tutum alicui se reputare* « *valde peritum de scientia sua, et dicere : Volo uti* « *praecise istis verbis pro consecratione sanguinis,* « *sed securior est simplicitas : Volo ista verba pro-* « *ferre sub ea intentione, sub qua Christus instituit* « *ea esse proferenda, ut quae ex Christi institutione* « *sunt de forma, dico ut de forma, et quae ad re-* « *verentiam, ad reverentiam* ». En practica solutio, en applicatio principii moralis : quando agitur de valore Sacramentorum tutior pars est sequenda ; en qua puritate resplendet doctrina Servi Dei!

4. In Volumine 17 pag. 699 haec animadvertenda invenit Censor : « *Offertur hostia non consecrata et* « *tunc est sacrificium non sacramentum* » ; et in Vol. 26 pag. 321 : « *Missa non aequivalet Passioni* « *Christi, licet specialius valeat pro quanto ibi est* « *specialior commemoratio oblationis quam Christus* « *obtulit in cruce* ». Ex his videtur Censori Scotus negare valorem absolutum Sacrificii Missae. — Magister Sententiarum opinabatur ministros excommunicatos vel haereticos non posse conficere Sacramentum, licet sint Sacerdotes, quia dicunt quidem in consecratione : *offerimus, quasi in persona ecclesiae ;* sed haereticus est ab Ecclesia catholica praecisus. Id Scotus validis argumentis negat, et Sententiarum Magistri rationi sic respondet : « Obla- *Animad.* § *38.*

« tio non pertinet ad rationem consecrationis, nec « necessario requiritur, quod offeratur ; *offertur* enim « hostia non consecrata, et tunc est sacrificium, « non Sacramentum ». Patet autem postremis hisce verbis Scotum corrigere Magistrum Sententiarum, qui dicens : *in ipsa consecratione dicitur offerimus et non offero*, confundit offertorium cum consecratione ; dum hostia quae offertur, seu quando offertur, est sacrificium, non Sacramentum. Non placet forte Censori quod dicatur a Scoto, oblatione fieri sacrificium non Sacramentum ; sed numquid oblatio est actus Sacramenti ? Et dicens Scotus : *tunc est sacrificium*, hoc in sensu lato est sumendum, nempe quatenus oblatio est pars initialis, inchoativa Sacrificii, cuius essentiam Doctor Subtilis ponit in consecratione. Potest etiam intelligi, quod offertorium et verba quae sequuntur non pertinent ad Sacramentum, sed sunt ordinata ad Sacrificium.

85. *Vol. 26* (et non 17) *pag. 321*. — Quaestio praesens, quae est *Vigesima quodlibeti*, sic enuntiatur : « Utrum Sacerdos, obligatus ad dicendum missam « pro uno, obligatus etiam ad dicendum missam « pro alio, sufficienter solvat debitum dicendo unam « missam pro ambobus ? ». — Brevitatis gratia, omittimus expositionem mirificae doctrinae, quae in hac quaestione evolvitur, et qua usi sunt Theologi etiam non Scotistae in statuendo fructu Sacrificii Missae. Utrum vero Scotus *videatur negare*, ut opinatur Censor, *valorem absolutum huius Sacrificii*, patet ex ipso initio quaestionis, pag. 298 : « Contra, qui plus solvit, quam illud sit propter quod « obbligantur videtur abundanter satisfacere ; sed « una Missa est maius bonum, quam sit illa, pro « quibus obligatur duobus, quia **bonum Missae est ex virtute sacrificii ; sacrificium autem est infinitum, et infinitis sufficiens. Christus enim qui of-**

« **fertur in illo sacrificio, sufficiens**
« **fuit quando offerebatur in Cruce ad**
« **satisfaciendum pro peccatis, ergo**
« **etc.** ».

86. Pag. vero *321*, ubi habentur verba notata a Censore, sic ait Doctor: ... Christus « non hic immediate offert sacrificium iuxta illud Hebr. 9 neque « ut *saepe offerat semetipsum;* et ibidem: *Christus* « *semel oblatus est*, supple a seipso offerente, alioquin videretur, quod unius Missae celebratio aequivaleret passioni Christi, si idem esset offerens « immediate, et oblatus. *Certum est autem quod* « *Missa non aequivalet passioni Christi, licet spe-* « *cialius valeat, pro quanto ibi est specialior com-* « *memoratio oblationis, quam Christus obtulit in* « *cruce*, iuxta illud Lucae 22. et 1. Cor. c. r.: « *Hoc facite in meam commemorationem*, quia fit « Missa tam repraesentando illam oblationem in « cruce, quam per eam obsecrando, ut scilicet per « eam Deus acceptet sacrificium Ecclesiae ». — Porro haec diligenter consideranti patet, illud *Missa non aequivalet passioni Christi* significare sacrificium Missae non esse identicum sacrificio crucis, sed istius commemorationem; quia hoc fuit universale, Missae vero fructus partialis dependet ab intentione Ministri, ideoque limitatur personae vel personis, pro quibus offertur. Iste sensus clare exprimitur verbis: « *licet specialius valeat pro quanto* « *ibi est specialior commemoratio oblationis quam* « *Christus obtulit in cruce* » et clarissime elucet ex toto complexu istius Quaestionis XX.

87. Ante quam huius capitis finem faciat, egregius Censor adnotat Scotum in vol. 18 pag. 547 docere absolvi posse poenitentem qui renuit acceptare poenitentiam a confessario. — Quae quidem affirmatio reprehensibilis profecto esset dicenda si Scotus per eam docere voluisset satisfactionem non esse partem essentialem sacramenti Poenitentiae, vel ab- *Animad.* § *39.*

solvi posse poenitentem qui satisfactionem a confessario malitiose renuat acceptare. Sed alia prorsus fuit Doctoris Subtilis mens, qui haec ad rem scribit: Confessio debet esse « cum displicentia pec« cati commissi et cum proposito abstinendi a pec« cato et oboediendi ecclesiae in satisfactionem pro « isto peccato. Intelligo non quod oporteat eum « velle poenam vel poenitentiam suscipere a sa« cerdote, quia etsi nullam sibi oblatam a sacer« dote vellet recipere, tamen duae idoneitates vel « condiciones haberet propositas hic, et propositum « recipiendi poenam infligendam sibi a Deo hic « vel in purgatorio, talis inquam, citius esset ab« solvendus quam repellendus, ut dictum est supra « dist. 15. quaest. 1. ». In hac autem quaestione inter alia legimus p. 217: « Dives qui lapsus est « ad peccatum carnis, et est adeo delicatus, quod « non velit ieiunare nec aliam macerationem no« tabilem subire, vel praesumitur quod si sibi im« poneretur cito abiiceret et sic peccaret novo « peccato, inducendus est ad orationem et eleemo« synam et illud sibi imponendum est quod liben« tius recipit, et quod creditur perseverantius adim« plere. Vel si omnino nullam poenitentiam velit « recipere a sacerdote impositam, dicit tamen se « habere displicentiam de peccato commisso, et « firmum propositum non recidivandi, absolvendus « est et non est respuendus; ne cadat in despera« tionem; et nuntianda est sibi poena, quae esset « pro peccatis facienda, et quod eam in se vel in « aequivalenti absque impositione studeat adim« plere, alioquin solvet ad plenum in Purgatorio ». Ex his luce clarius est Scotum sibi fecisse casum practicum et fuisse confessarium prudentem atque peritum.

V. — Circa Christum.

88. Circa Christum haec primo adnotat clarissimus theologus Censor; « Licet Scotus declaraverit: *in com- « mendando Christum malo excedere quam deficere a « laude sibi debita, si propter ignorantiam oporteat « in alterum incidere* (Vol. 14 p. 463), tamen denegat « gratiam unionis dicens: *Suppositum autem divinum « ex hoc quod terminat istam unionem, nullam per- « fectionem absolutam ponit in anima Christi* » (Vol. 23 pag. 394). — At videamus utrum iure Censor egregius affirmet Scotum principium sibimetipsi impositum violasse: « in commendando Christum « malo excedere quam deficere a laude sibi debita ». In loco citato (Vol. 23) Doctor Subtilis, postquam probavit animam Christi indigere habitu charitatis ad actum perfectae et verae suae beatitudinis, ita pergit: « nec valet si dicatur, quod non indiget « (habitu charitatis) propter unionem ad Verbum, « quae omnia supplet, quia haec unio est naturae « humanae ad suppositum. *Suppositum autem divi- « num ex hoc quod terminat istam unionem, nullam « perfectionem absolutam ponit in anima Christi;* et « ideo cuiuscumque perfectionis est receptiva se- « cundum se, si non esset Verbo unita, sic eiusdem « est receptiva, ut est Verbo unita ». Notentur verba illa: « *nullam perfectionem absolutam ponit in « anima Christi* ». Unio enim hypostatica non efficit unum et idem de divina et humana natura Christi, ita ut permisceantur; sed hae remanent tales cum propriis perfectionibus, infinitis quidem in natura divina, finitis in natura humana. Ideoque, cum Verbum non communicet animae Christi *perfectiones absolutas*, quae exclusive sunt propriae Trinitatis, anima eius est capax recipiendi omnes per- *Animad. § 40.*

fectiones communicabiles naturae humanae, ac si non esset unita naturae divinae. Quamnam ergo *unionis gratiam* hic negat Scotus? Haud certe quidem *hypostaticae;* hoc enim Censorem dicere voluisse ne cogitare quidem possumus. Nec admittere possumus illum significare voluisse pro *gratia unionis, perfectiones absolutas,* de quibus tantum fit mentio in citato loco; tunc enim non Scoto sed ipsi Censori haeresis nota infligenda esset.

89. Adnotat insuper clarissimus Censor Scotum docere Christum ex vi unionis hypostaticae non fuisse impeccabilem, ex potentia extraordinaria Dei (Vol.
Animad. § *41.* 14 pag. 121, 440). — En summa doctrinae Scoti in locis commemoratis: Christus est omnino impeccabilis, tum quia in primo instanti suae unionis cum Deo fuit beatus, et beatitudo auferebat ab eo omnem peccabilitatem, vel potentiam ad peccandum, tum vi unionis hypostaticae, non-quidem formaliter, sed *virtualiter dispositive dispositione remota, licet necessaria ex parte Dei agentis.* Eamdem doctrinam fusius exponit in Volumine 23 pag. 32 seq. Ex ea porro elucet *causam formalem* impeccabilitatis in Christo esse perfectissimam beatitudinem, *virtualem* vero unionem hypostaticam. Non negatur ergo impeccabilitas a Doctore Subtili, sed aliter ac a Magistro Sententiarum, de quo in hac quaestione fit mentio, deducitur. Ad rem haud inutile putamus memorare quid de hac Scoti sententia senserit clarissimus *Pesch* qui in T. IV, p. 170, n. 302, haec habet: « *quae doctrina iam hoc titulo, quod a Scoto* « *eiusque schola diserte proposita fuit,* **immunis** « **est a censura theologica, ex decla-** « **ratione S. Congregationis iussu Pau-** « **li V edita** ».

90. Et sane dictum Scoti multo medicabilius est quam id quod docuit Durandus a Sancto Portiano Ordinis Praedicatorum in *3 Dist. 12, q. 2* ubi tractans quaestionem utrum Christus potuerit peccare ait: « quaestio ista uno modo est dubitabilis, alio

« non. Dubitabile quidem non est si ponamus sicut « communiter ponitur, quod Christus assumpsit na- « turam humanam perfecte beatificatam secundum « mentem . . . Si autem Christus non assumpsisset « naturam glorificatam secundum mentem, sed as- « sumpsisset eam in puris naturalibus constitu- « tam . . . tunc est maior dubitatio ». Et exposita sententia eorum qui etiam in hac hypothesi tenent naturam humanam Christi futuram fuisse peccabilem, sic pergit : « Aliis autem videtur contrarium, sci- « licet quod *si Christus assumpsisset naturam hu- « manam in puris naturalibus potuisset peccare....* » Et concludit tenendo hanc sententim de qua dicit : « **huic autem opinioni magis obsistunt « verba devota quam ratio efficax** ». Nihilominus Durandus a S. Portiano fuit Magister Palatii Apostolici sub Clemente V, deinde a Ioanne XXII anno 1318 promotus est ad Sedem Episcopalem Aniciensem, ex qua, anno 1326, translatus est ad Sedem Meldensem.

91. In Volumine 14 pag. 718-719, haec Censor adnotat : « Quantum ad sufficientiam dico quod meritum « Christi fuit *finitum*, quia a principio finito essen- « tialiter dependens, etiam accipiendo ipsum cum « omnibus respectibus sive ad suppositum Verbi, *Animad. § 42.* « sive ad finem, quia omnes isti erant finiti, et « ideo quomodocumque circumstantiatum finitum « erat ». — Omnes theologi una voce docuerunt et docent valorem infinitum meritorum Christi ; non omnino tamen consentiunt in assignanda ratione huiusmodi infinitatis. Doctor Subtilis communem hanc veritatem pluries proclamat, sed propriam habet opinionem in statuendo eius fundamento, quod in persona infinita merente ponit. Distinguens enim in Christo id quod ad divinam et id quod ad humanam pertinet naturam, statuit Christum, qua homo est seu in natura humana, passum esse et meruisse ; cum vero humana natura fuerit creata et eo ipso finita, etiam eius opus meritorium fuit in-

trinsece finitum, alioquin vitari non posset error monophysitarum et pantheistarum. Unde, considerando in Christo *principium quo operatur*, idest humanam naturam, operationes eius cum procedant a principio finito, sunt ab intrinseco finitae, ideoque talia sunt et merita : considerando vero *principium quod operatur* idest personam, sunt infinita, uti infinita est persona operans. Neque dicas : Persona operans in Christo est infinita : si, ergo, actiones personae tribuuntur, opus Passionis Christi debet esse ab intrinseco seu formaliter infinitum. Nam, Persona operans est absque dubio infinita, sed natura humana, in qua Christus passus est, meruit ac satisfecit, est finita. Si, vero, unum principium essentiale cooperans est finitum, etiam opus inde procedens nonnisi finitum formaliter esse potest, nec infinitum evadit nisi propter dignitatem Personae operantis, nempe Verbi. — Ad hanc quaestionem pertinent verba ab egregio Censore relata, quod nempe *meritum Christi fuit finitum, quia a principio finito* (idest natura humana) *essentialiter dependens . . .* ».

92. Tandem circa Christum haec adnotat Censor egregius in Vol. 14 pag. 178 : « *Passio Christi fuit bonum* « *finitum, etiam accepta secundum totam rationem*
Animad. § 43. « *meriti, nec acceptatur a Deo infinite ex parte obie-* « *cti* ». — Ad haec animadvertimus verba a Censore memorata non inveniri in loco citato. Probabiliter legenda sunt in Vol. 14 pag. 718, sicut praecedens Animadversio: et in quo saltem ad sensum occurrunt. Si tamen omnis contextus spectetur, Scotus nil aliud ibi dicere vult, nisi quod opus Christi non fuit infinitum *ex formali ratione*, idest in sensu proprio et stricto: sed addit hoc opus propter personam merentem habuisse rationem extrinsecam, quare Deus potuit illud acceptare in infinitum, scilicet extensive pro infinitis. Et in loco paralelo vol. 23 pag. 405 : « Pro aliqua conditione personae « merentis, quae est formaliter conditio actus mere« rendi, potest acceptari illud meritum pro infinitis.

« Et sic meritum Christi fuit quasi infinitum, non « tamen formaliter infinitum, sed infinite acceptatum pro infinitis, *quod non fuisset si fuisset purus « homo, quia ut infinitum acceptavit propter infini- « tatem personae merentis* ».

VI. — Circa animam humanam.

93. Haec in primis animadvertit Theologus Censor: « Aperte docet in anima et in Angelo inveniri « materiam, non tantum ex sententia Philosophi « sed etiam ex propria (Vol. 2 pag. 353 et seqq.; « Vol. 4 pag. 352 et seqq.), *ita ut anima, ex ma- « teria et forma composita, sit forma corporis* « (Vol. 4 pag. 363). Quod ista materia sit spiri- « tualis, vel non et an possit reduci sententia « Scoti ad theoriam de actu et potentia in quo- « libet ente creato, non apparet ». — In Volumine 2 pag. 353 nihil inveni ex his quae Censor adnotavit; quoad ea quae in volumine 4 pag. 352 seqq. deprehendit, ita respondeo: Nemo ignorat Philosophos ac Theologos Scholasticos suum aedificium scientificum praecipue construxisse in notionibus metaphisicis *materiae* et *formae*, quas, diversimode distinctas, invenerunt in quocumque ente creato, ideoque etiam in spiritibus. — S. Thomas de his ita scribit: « Primo aspectu apparet « esse impossibile unam esse materiam spiritua- « lium et corporalium... Sed adhuc impossibile « est, quod substantia intellectualis habeat qua- « lemcumque materiam... Licet in Angelo non « sit compositio formae et materiae, est tamen in « eo actus et potentia... et hoc est quod a qui- « busdam dicitur, quod Angelus est compositus « *ex quo est* et *quod est*, vel *ex esse* et *quod est*, *Animad.* § 44.

« ut Boëtius dicit. Nam *quod est* est ipsa forma « subsistens; ipsum autem *esse* est, quo substantia « est, sicut cursus est, quo currens currit. Sed in « Deo non est aliud *esse* et *quod est*, unde solus « Deus est actus purus ». (S. th. I. qu. 50, art 2) — Juxta Scotum vero probabiliter etiam substantiae spirituales constant materia et forma, et de hoc agit in libro a Censore citato, in quo multis argumentis in duodecim thesibus distributis ostendit eiusmodi materiam esse. Sed quamnam materiam?

94. Iam ab initio huius libri *De rerum principio* (*pag. 268*) monet se ponere in substantiis spiritualis materiam **metaphisicam,** seu **primo-primam**, de qua haec habet (*pag. 352*): « Necesse est tam animam quam Angelum inniti « materiae fundamento, accipiendo materiam non « pro illo potentiali, quod est esse nihil respectu « esse **sed pro illo potentiali, quod « habet esse actu, quod contra for- « mam distinguitur, ut dictum est, « quae est actus, et habet esse actu** ». Hic, uti patet, materia sumitur pro potentia, et quidem passiva, nam pagina sequenti statim addit: « omnis creatura, ratione qua est de ni- « hilo, dependet ab alio quantum ad esse, quan- « tum ad fieri, et quantum ad conservari; ergo « omnis creatura (etiam spiritualis) habet in suis « intimis potentiam passivam admixtam », et fuse procedit in isto conceptu evolvendo. Et *pag. 363* in fine huius *Quaestionis* subiungit: « Ad aliud, « quod anima est forma corporis, dico quod tota « anima ex materia et forma composita, est for- « ma corporis. Quod tu dicis quod materia est « tantum potentia, forma actus, dico quod quam « vis materia animae in se considerata sit tan « tum in potentia, ut informata tamen sua forma, « actus quidam efficitur, per quem materiam in

« formare habet non a se, ut bene concludis, sed « a sua forma ». Et *pag. 432*: . . . « communiter « dicunt Doctores, quod tota anima composita « ex **Materia spirituali et forma,** est forma hominis ». Si haec omnia rite perpendas, facile persuasum habebis hic agi de compositione ex *materia spirituali* et *forma*, nempe de *potentia* et *actu*.

95. In eodem volumine 4, pag. 533, haec alia adnotanda deprehendit: « Non nego quin relatio « possit fundari immediate in substantia etiam in « creaturis, paternitas enim fundatur immediate « in potentia generativa Patris, quae est idem « essentialiter cum anima, et per consequens est « substantia. » — Haec verba non inveniuntur in *vol. 4 pag. 533*, sed in *Lib. XII Metaphysicorum Vol. 6 pag. 533*, in quo Commentator agit de quaestione Aristotelica utrum principia substantiae sensibilis sint eadem ac illa aliorum entium. *Pag. 533*, questio est de illa Categoria Aristotetelis quae dicitur *Relatio*, eamque Commentator asserit *immediate fundari in potentia generativa patris.* — Cum vero de re pure et simpliciter metaphysica agatur, nihil ex ea colligi potest contra fidem. In animadversionibus verbum *patris* litera maiuscula ponitur, sed aut errore aut arbitratu Censoris id factum est; in textu enim habetur cum litera minuscula, et nihil sane est quod ad relationes Trinitarias hoc in loco referri possit. *Animad. § 45.*

96. In Volumine 8 pag. 361, et volumine 5 *Collatione 17*, egregius Censor animadvertit Scotum tenere « *voluntatem posse non velle finem ultimum* « *quocumque modo apprehensum, obscure sive clare,* « *in universali sive in particulari* ». — Est quaestio mere philosophica, de qua haec sentit Doctor Subtilis: Voluntas, quatenus est *appetitus naturalis*, appetit finem ultimum seu beatitudinem *Animad. § 46.*

necessario, perpetuo et summe. Sed in quantum est *potentia libera*, non idem dicendum est; nam essentialiter est et manet libera, quin nullo determinari et cogi possit, aliquin mutaretur eius essentia, quod est impossibile. Attamen, ultimus finis, seu beatitudo, adeo placet voluntati, eam inclinando et alliciendo, ut nequeat illum non velle, quamdiu hoc obiectum ei ostendit intellectus. Sed quoniam est et manet potentia libera, libere vult quod sibi placet, ita ut posset se ad aliud obiectum convertere, etsi beatitudinem *necessario velit appetitu naturali*. Haec est doctrina Scoti propria, qua utitur ad declarandum quo modo Angeli in coelo peccare seu ab ultimo fine se avertere potuerint. Quid vero contra fidem aut contra mores hac in sententia invenitur, ut a Censore Theologo damnanda videatur?

97. In eodem volumine 8 pag. 371, haec alia verba deprehendit animadversione digna: « *Voluntas* « *non elevata supernaturaliter potest frui fine ultimo* « *clare viso* ». — Nolim quis putet his verbis Doctorem Subtilem negare habitum supernaturalem charitatis ad consequendum ultimum finem supernaturalem, vel necessitatem luminis gloriae; hoc enim expresse affirmat. In hac eadem quaestione pag. 354, ait: « Tunc posset talis voluntas « esse beata sine charitate. Consequens falsum, « quia tunc charitas non erit necessaria ad beati- « titudinem voluntatis. Consequentia probatur, « quia frui fine in particulari viso videtur esse « beatitudo, vel includere formaliter beatitudi- « nem ». Beatitudo vero iuxta Scotum omnesque Scholasticos, consistit in operatione seu activitate, pro qua requiritur habitus infusus charitatis. Hic tamen habitus non est necessarius, si, uti nonnulli tempore Scoti sentiebant, in beatitudine voluntas mere passive se haberet. Ideoque sensus loci a Censore obiecti est: si voluntas in beatitudine mere passiva esset, uti nonnulli volunt,

Animad. § *47.*

etiamsi non elevata supernaturaliter potest frui fine ultimo clare viso. (Cfr. ea, quae diximus ad Animadv. 18).

98. Adnotat insuper Censor egregius Scotum pluribus in locis docere « *non posse probari* animam humanam esse creatam sicut non posse probari animam esse immortalem ». Vol. 13. pag. 66; Vol. 23. pag. 79; Vol. 20. pag. 46 et seqq.; Vol. 24. pag 499. — In his locis igitur, ceu Censor adnotat, Scotus non negat animae creationem vel immortalitatem, sed tantummodo huiusmodi veritatem probari posse solo rationis lumine. Ne pigeat Amplissimos Patres memoratos locos inspicere, ut quaenam sit mens Scoti ipsi doceantur. *Animad. § 48.*

Vol. 13. pag. 66. — Quaerens Doctor Subtilis utrum *anima Adae fuerit creata in corpore*, ait: « Dico quod *possibile est anima creari sine corpore* », huiusque affirmationis rationes affert. Quo facto, sibi quaerit: « Sed quid de facto? Dico quod non « potest demonstrari quod sit per se producta, nec « supposito quod non sit immortalis, nec supposito « quod immortalitate gaudeat ». Uti patet, Doctor Subtilis hic non agit de origine animae in se, sed *de creatione animae Adae sine corpore,* idest ut separata a corpore. Possibilitatem huius creationis adstruit, quia anima est utique forma corporis, sed est forma, quae per sese esse potest. Utrum vero, de facto Adae anima sit creata una cum corpore, demonstrari nequit, quia anima, utut spiritualis, est de facto ordinata ad informandum corpus, nec evidenter patet quomodo creata sit in Adamo et pergat existere separata a corpore. En genuina theoria Doctoris Subtilis, quae multum distat ab affirmatione clarissimi Censoris.

Vol. 23. pag. 79. continet *Reportata Parisiensia*, in quibus Scotus quaestionem *II Libri Sententiarum* iterum agit, atque eodem sensu explicat.

99. *Vol. 20. pag. 46. seqq.* — Quod attinet ad animae immortalitatem, Scotus tenet eam fide certam esse,

minime vero per se notam ratione naturali, simpliciter necessaria. Quid ad rem senserit Aristoteles dubium esse affirmat, itemque affirmat aliorum ethnicorum philosophorum argumenta vim probandi non habere, nec multum valere rationes tum a priori tum a posteriori, quas alii scholastici, qui Aristotelem sequuntur, produnt. Quare concludit intellectum, recte dispositum et fide illustratum, non posse quidem illis argumentis suum valorem negare, at protervum intellectum posse ad hoc non induci. — In volumine *24 pag. 499*, in quo est locus paralelus praecedenti, *pag. 496* haec habet: « *Ista autem comprehensio immortalitatis, ut possi-* « *bilis, non est ex ratione naturali, sed tantum* **ex** « **inductione vel fide** ». Utique « *quod anima* « *sit incorruptibilis, haec quidem conclusio* **pro-** « **babilior est quam opposita** », sed « *non* « *video aliquam rationem demonstrativam necessario* « *concludentem propositum* » (l. c. pag. 498).

100. Ex his igitur patet: 1° quoad creationem animae Scotus non dicit, uti Censor affirmat, animam esse creatam probari non posse, dum admittit possibilitatem creationis animae Adae sine corpore, quamvis quoad factum putet hoc *demonstrari* non posse; 2° Quoad immortalitatem animae, Scotus non dubitat de hac veritate, sed renuit strictam demonstrabilitatem, seu demonstrabilitatem apodicticam, metaphysicam, non vero eam quae *ex inductione* provenit. Ceterum in scriptis philosophicis animae immortalitatem defendit argumentis mere rationalibus, uti videre est in *Conclusionibus Metaphysicis Vol. 6. pag. 651;* in *Commentario in XII Libros Aristotelis Vol. 6. 531;* in *Quaestionibus super Libros Metaphysicorum Aristotelis Vol. 7. pag, 660; De rerum principio Vol. 4. pag. 438 etc.*

101. Tandem Censor egregius in vol. 21. pag. 441 hanc Scoti propositionem deprehendit: « *Beatitudo est causa immortalitatis in anima* ». — Causa distin- *Animad. § 49.* guitur a Scholasticis in efficientem, materialem,

formalem et finalem. Scotus autem, aiens *beatitudinem esse causam immortalitatis*, non loquitur nisi de *causa finali*, uti ex contextu patet. Et sane, Deus hominem ad aeternam beatitudinem vocans, non potuit animam non reddere immortalem: beatitudo enim quae amitti potest iam non esset beatitudo. Unde concludit: « *mortalitas igitur repugnat beatitudini, quia repugnat eius effectui* ». Et hoc sensu obiecta propositio nihil habet improbandum.

102. Huius capitis finem faciens Censor adnotat Scotum, uti docere videtur in volumine *7 pag. 559* et volumine *23 pag. 77*, « negare saltem ex consequenti distinctionem intellectum inter et voluntatem ». — Cum distinctio inter intellectum et voluntatem dici possit fundamentum totius systematis Scotistici, ita ut sexcentis locis Scotus distinctionem hanc apertis verbis asserat, vehementer miramur quod Censor dicat eam a Scoto negari. In volumine *7 pag. 559,* quod Censor commemorat, Scotus quaerit utrum obiectum intellectus et voluntatis sit idem; et ad hanc movetur inquisitionem ex eo quod *cum verum et bonum convertantur, quod est verum est etiam bonum.* Attamen distinctio existit inter has animae facultates, cum ante suos actus existant; non distinctio *realis*, sed distinctio proveniens aliunde quam ex obiectis, iuxta prius tractata de potentiis animae. In quo vero consistat haec distinctio, clarius etiam exprimit in volumine *23 pag. 77,* aiens: « Potest dici quod quantum« cumque (intellectus et voluntas) sint *idem realiter* « *in essentia animae*, tamen **quidditative et** « **formaliter distinguuntur**; et ista di« versitas impedit praedicationes unius de alio »; et iterum affirmat quod centies dixit, hoc est potentias illas distingui, non realiter, non logice, sed formaliter.

VII. — Circa valorem rationis.

Animad. § *50.*

103. Agnosticum clarissimus Censor Scotum appellat ex eo quod *vol. 5 pag. 330* mysterium SSñae Trinitatis illustrans, illud naturaliter demonstrare conetur. Sed videamus quaenam sint huiusmodi tentamina. In memorato volumine *de cognitione Dei*, in loco a Censore citato, Scotus, praesupposita fide in Trinitatem, quaerit « *utrum* **cognitio abstractiva proprietatum personalium** *possit habere rationem scientiae* »; et hoc quaerit quia *proprietates personales* necessario sequuntur ex notione Personarum, fide habita. Nonne et alii omnes Scholastici, Mysterio per revelationem cognito, illud explicare clariusque ratione reddere conantur? Ceterum quid Scotus sentiat de mysterio SSñae Trinitatis potius quam ex parvo hoc opere, quod ipse Waddingus mutilum atque obscurissimum dicit, colligendum est ex *1 Libro Sententiarum Vol. IX et X* in quibus hac de re ex professo agit.

104. Relate vero ad ea quae de substantiis Scotum docere affirmat clarus Censor, nempe « *nos habere* « *habitum vocalem sicut caecus natus sillogizzat de* « *coloribus, quia nec ipsa genera intelligimus nisi* « *ens* » (Vol. 7, pag. 111), respondemus: Quaestio tertia *II Metaph.* ita enunciatur: « *Utrum* **substantiae immateriales** *possint intelligi a nobis* **secundum suam quidditatem** *pro hoc statu?* ». Agitur de cognoscibilitate substantiae Dei et Angelorum, et nonnisi incidentaliter de aliis. In subtilissima hac quaestione Scotus dicit intellectum nostrum, in ea qua nunc versatur conditione, non attingere substantiam, idest naturam intrinsecam rerum materialium, nisi ex earum proprietatibus et operationibus. Illudque illustrat exemplo caeci de coloribus disserentis, quorum directam

et immediatam notionem ab oculis minime acquirit. Etiam S. Thomas similia habet: « *Nihil prohibet* « *id quod est certius secundum naturam, esse quoad* « *nos minus certum propter debilitatem intellectus* « *nostri, qui se habet* **ad manifestissima na-** « **turae, sicut oculi noctuae ad lumen** « **solis** » (e. c. S. Theol. I. 5. a. I).

105. Ad ea quae clarissimus theologus Censor sub *nn. 51-55* animadvertit in nonnullas propositiones excerptas ex opere quod inscribitur *Theoremata Subtilissima*, nec potiorem hac, nec probabiliorem responsionem dari posse autumo. Idest: aut opus illud ex catalogo operum Scoti est expungendum omnino, aut, si Scoto adscribi velit, saltem concedendum est: vel textum interpolationi aut corruptioni aut partium inversioni obnoxium fuisse, vel Doctorem Subtilem, propositionibus illis, aliorum sententiam retulisse, vel eas simpliciter enunciasse et insolutas reliquisse. — Critici recentiores primum tenent, scilicet opus illud ex catalogo librorum Scoti expungendum esse, ratioque ipsa illud suadere videtur. Quis enim mentis sanae crederet tantum Doctorem, cuius opera maxime philosophica sunt, in dubio fuisse de demonstrabilitate veritatum, de quibus nullus unquam philosophus catholicus, nec ante nec post ipsum dubitavit? Id eo vel magis absonum et incredibile videtur quia in potioribus suis scriptis, hoc est in duobus *Commentariis in Libros Sententiarum*, multis argumentis ac praeclaris, quum ex philosophia tum ex theologia sumptis, easdem veritates plane probat; illud tandem profecto confirmat factum quod Scoti discipuli, tum antiqui tum recentiores, doctrinam Magistri ex huiusmodi propositionibus numquam hauserunt, nec ullus philosophus aut theologus, unius alteriusve scholae catholicae, ad illas propositiones provocaverunt in oppugnandis sententiis scotisticis.

Animad. §§ *51-52-53-54-55.*

106. Quod si opus illud Scoti nomini addici velit, admittere tamen cogimur vel illud fuisse interpo-

latum, uti suadere videntur verba Mauritii, in Praefatione huius libri : « Est in primis ille tractatus « valde singularis et ingeniosus, rarus et obscurus « plerumque .... Textus insuper valde intricatus « erat, tum ratione ordinis propositionum, tum « quotationum perplexitate, et numerorum, ac re- « missionum ; tum diuturnitate temporis et scripto- « rum vitio, atque originalium hactenus raritate. « *Itaque nedum mihi, imo ipsimet auctori ad plenum* « *huius tractactus* **depuratio** *difficilis recte nunc* « *esset* » (pag. 3) ; vel saltem admittere cogimur Scotum illas propositiones posuisse vel tamquam aliorum sententias, vel eas simpliciter enuntiasse et insolutas reliquisse. Huius sententiae est clarissimus Waddingus, qui primus opera Scoti edenda curavit. Haec enim scribit in Praefatione ad lectorem : « Theoremate 14, theologicas propositiones ponit.... « de quibus Metaphysice et Physice disputat hoc « tantum concludens quod ratione naturali non de- « monstratur, rigide sumendo demonstrationem, aut « potius *in plerisque nihil concludit, sed* **senten-** « **tiam aliorum, fundamentis ipsorum** « **innixam,** *proponit,* ut cum negat demonstrai « *Deum esse vivum, volentem, intelligentem etc., aut* « *forte unum, vel efficiens primum et similia.* Quae « habet theoremate 16, **quorum opposita, pro-** « **vectior factus in theologia, omnium** « **subtilissime probavit** » (pag. 2). Et ad pri- mas quatuor propositiones in specie quod attinet, quae sub n. 51 a Censore colliguntur, haec adnotat : « *vel loquitur secundum sententiam aliorum, ut notat* « *hic Mauritius, vel, quod verius est, tantum ponit* « *istas quatuor propositiones, nihil de eis resolvens,* « quod colligo ex propositione quinta ibi, — *Concessis* « *quatuor conclusionibus proximis,* **licet** non **pro-** « **batis.** — Quibus verbis constat, secundum eum « non probari, quod demonstrari nequeat Deum esse « vivum etc. ergo illas quatuor conclusiones non tenet

« ut probatas, vel assertas, sed non resolutas reli-
« quit. Quod confirmo, quia tract. de primo prin-
« cipio cap. 3 et 4 et 1. d. 2. q. 2 *exactissime probat*
« *Deum esse, et esse intelligentem, ac volentem, pri-*
« *mum efficiens, ultimumque finem.* Vide eum in par-
« ticulari probantem, *Deum esse intelligentem et vo-*
« *lentem* d. cap. 4 concl. 4 et 1. d. 2. quaest. 2. art.
« 3. num. 20 et 21 **quibus locis haec de-**
« **monstrare satagit rationibus om-**
« **nium, quotquot hactenus adinventae**
« **sunt, efficacissimis** » (Vol. 5 pag. 38).

107. Quod si, duabus his spretis opinionibus, propositiones illas tamquam genuina Doctoris Subtilis sententia haberi velint, nihilominus minime sequeretur Scotum censura esse plectendum, aut ob eius doctrinam damnandum. Ut enim iam innuimus, ipse in posterioribus ac potioribus suis scriptis, veritates ipsas, quas hic probari non posse affirmat, disertis verbis et amplissimis argumentis probare nititur. Quare etsi peiorem amplecti velimus hypothesim, cum Scotus, provectior factus in Theologia, contrariam sententiam defenderit, iam dicere cogimur illum de falsa sententia decessisse veteremque errorem posterioribus scriptis ipsum purgasse.

Et haec dicta sint etiam ad ea quae hac eadem de re animadvertit secundus Censor Theologus.

VIII. — Circa S. Scripturam.

108. Circa S. Scripturam unicam clarissimus Censor facit animadversionem, quamquam melius fortasse egisset si nullam fecisset. Locum enim transcribit ex volumine 5 pag. 405, quibusdam verbis parum feliciter reticitis, quae si suo loco restituantur

Animad. § 56.

omnem adimunt difficultatem. En textus genuinus: « Liber Judith, Tobiae etc.... non sunt de canone, « *ut dicit Hieronymus in Galeato*, qui licet inter di- « vinos numerentur, *ut dicit Isidorus 16 Etymolo-* « *giarum*, hoc est, quia ab Ecclesia recepti sunt « et approbati ad legendum in Eclesia, ad morum « informationem, non autem ad dubiorum confir- « mationem vel determinationem ». Ex his patet Scotum non suam proferre sententiam, eoque vel minus impugnare voluisse potestatem Ecclesiae determinandi quinam libri canonici sint habendi, sed tantum se inniti auctoritate S. Hieronymi in re biblica peritissimi. Attamen verba ipsa interpretationem prorsus contrariam admittunt si auferatur locutio « *ut dicit Hieronymus* »; quod arte fecit clarissimus Censor.

IX. — Circa doctrinam moralem.

109. In Volumine 19 pag. 148, haec verba adnotat egregius Censor: « Iste actus (procreatio prolis) non « est de se malus, nec de se est sufficienter bonus *Animad. § 57.* « bonitate morali, quia nullus actus est sufficienter « bonus moraliter ex ratione agentis vel obiecti, « nisi amare Deum ». — Nullam vero difficultatem facessere possunt verba haec si recte intelligantur. Scotus, demonstrata honestate ac sanctitate coniugii, agit de bonitate vel malitia actus coniugalis, qui est prolis procreatio, et statuit hoc principium: ille actus est *de se* (idest stricte et simpliciter) bonus, cuius obiectum et finis est *essentialiter* bonum, cuius generis est tantummodo actus diligendi Deum. E converso, ille actus est *de se* malus, cuius obiectum repugnat esse bonum. Iam vero actus procreationis prolis non est actus de se per-

fectus moraliter, quia eius obiectum non est bonum ultimum; nec de se malus, quia non repugnat sibi esse bonum. Undenam ergo eius moralitas? Ex circumstantiis, ac proinde dicitur actus circumstantiatus. Circumstantiae vero quae illum reddunt bonum sunt finis, legitimitas coniugii, vinculi indissolubilitas etc. — Eamdem doctrinam clarius explicat Doctor Subtilis in volumine 24 pag. 356, 377 quod Censor commemorat. Quid vero contra fidem aut mores in hac doctrina invenitur?

110. Adnotatione digna insuper ducit haec verba quae leguntur in vol. 21 pag. 537: « *Circa creaturam* « *non est peccatum mortale ex genere, sed tantum* « *ex praecepto. Habere non suam non est peccatum* « *nisi ex circumstantia, non est actus simpliciter* « *malus, sed circumstantiatus, non autem ex genere* « *actus* ». — Sibimetipsi cohaerens, Scotus tenet circa creaturas non dari leges praeceptivas aut prohibitivas ex natura rerum intrinseca; ex quo sequitur cognoscere uxorem non suam non esse actum *simpliciter* malum, sed malum evadere ex circumstantiis, aliis verbis est actus malus quia prohibitus. Unde si quis ex. g. cognosceret uxorem non suam ex permissione Dei, nullum ageret peccatum, sicut factum esse aliquando legimus in Veteri Lege, quod profecto fieri nunquam potuisset si malitia talis actus, esset actui ipsi intrinseca. *Animad. § 58.*

111. Ex eo quod Doctor Subtilis in vol. 24 pag. 203-204 scripserit « *in anima non remanere maculam cessante* « *actu peccati.... nec aliquid privativum, sed tantum* « *quaedam relatio rationis* » egregius Censor concludit Scotum concipere peccatum nominalistice. — At quam falso haec concludat Censor patet ex integri textus perlectione. In loco citato Doctor Subtilis inquirit « *quid sit illud, a quo quis dicitur* « *peccator*, **cessante actu peccati?** ». Praemissa notione peccati prout eam tradit Anselmus *De Conceptu Virginali cap. 4*, qua scilicet pecca- *Animad. § 59.*

tum « *est formaliter iniustitia, sive privatio et ca-* « *rentia iustitiae debitae, quae sibi deberet inesse* », diserte probat hanc iustitiae carentiam non posse esse illud, quo cessante, homo est actu peccator; haec enim carentia eadem est sive unum sive mille peccata homo patraverit, et sic videri posset solum primum peccatum esse illud momentum, quo homo fit peccator. Postea iterum sibi quaerit: « Unde igitur « quis est peccator? Respondeo, uno modo potest « dici, quod licet in anima, quae peccavit, cessante « actu peccati, non remanet aliqua macula, rema- « net tamen reatus peccati ex peccato commisso, « qualem Deus vult pro illa infligi, et ista obli- « gatio poenae infligendae sibi pro peccato est *re-* « *latio realis* fundata super animam obligatam « ad solutionem huius poenae ».

112. Haec vero opinio haud nimis placet Doctori Subtili, quia ea desunt quae requiruntur ad relationem realem. Et ad rem exemplum affert ex actibus humanis ita disserens: « Si aliquis offenderet « regem et faceret aliquid pro quo esset reus mor- « tis, obligaretur ad talem poenam persolvendam « vel sustinendam pro tali debito. Nec tamen istud « poneret in offendente aliquid positivum reale, « puta *relationem realem*, cessante actu, sed tantum « *relationem rationis* ad poenam talem. Eodem mo- « do in proposito, cessante actu peccandi, non re- « manet in anima aliquid *positivum reale*, quod « prius non fuit, a quo dicatur quis peccator; nec « etiam *privativum*, ut prius dictum, sed tantum « quaedam *relatio rationis*, ut abiectio ipsius ab « acceptatione voluntatis divinae ad gloriam, et « obligatio per consequens ad talem poenam sibi « infligendam pro peccato, quantum Deus pro iustitia sua ordinavit illi infligi ». Ex quibus patet Scotum non negare per peccatum amitti iustitiam inesse debitam, vel hominem incapacem fieri gloriae aeternae et reum poenae, sed inquirens in intimam naturam peccati habitualis, putat hoc non esse a-

liquid reale vel positivum vel privativum vel relationem realem, sed nonnisi relationem rationis. Tandem sententiam suam confirmat etiam auctoritate S. Augustini in *Enarr. 2 super illud Ps. 31: Beati quorum tecta sunt peccata*, ubi dicit: « *Deum videre peccata est* **ea ad poenam imputare**, *et ipsa esse tecta, est ipsa esse totaliter remissa, nec ad poenam ulteriorem pro eis infligendam ordinata* ».

113. Tandem clarissimus Censor nominalismi reum traducit Scotum eo quod reatum culpae habitualis appellaverit *relationem rationis*. At, nisi totus fallar, nominalista foret qui, servato nomine, negaret rem aliquam per nomen ipsum significari. Hoc autem minime facit Scotus; nam et admittit reatum culpae habitualis, illum dicendo causam obligationis ad talem poenam idest causam reatus poenae, et praeterea inquirit ad quodnam praedicamentum revocandus sit ipse reatus culpae; definit denique revocando illum ad praedicamentum relationis. Verissimum quidem est a Scoto negari quod reatus culpae sit *relatio realis*, at praeterquamquod etiam Thomistae dicunt nihil *physicum* relinqui in anima per huiusmodi reatum culpae, praeter gratiae privationem (Cfr. **Billot**, *de peccatis*, quaest. 86 in nota ad calces paginae 61. — ed. 1808), num est nominalistice concipere dominium Dei super creaturas, si dicatur quod tale dominium ex parte Dei non est nisi relatio rationis? Agitur ergo de controversia mere scholastica et de quaestione nominis tantum, nec quidquam est contra fidem.

X. — Circa servitutem.

114. In volumine 19 pag. 161, egregius Censor haec verba adnotat: *Potest quis se vendere in servum, in « qua venditione ita transfert potestatem sui corporis « in alium, sicut in contractione matrimonii.* — Ut vero pateat puritas doctrinae Scoti sufficit integrum textum perlegere. Cum enim ageret de traditione corporum in matrimonio, per se licita, utpote a Deo adprobata, haec addit: « Sed diceretur hic, « quod licet homo ex creatione tenetur Deo in « omnibus quae potest, Deus autem non tantum « exigit ab homine, sed dimittit eum libertati suae, « solummodo exigit, ut servet praecepta Decalogi. « Unde potest quis se vendere in servum, licet de « hoc non inveniatur specialis approbatio divina « in Scriptura, in qua venditione ita transfert po- « testatem sui corporis in alium, sicut in contra- « ctione matrimonii. Consimiliter patet de transla- « tione dominii omnium suarum rerum; et tota « ratio est, quia in quibus Deus non obligat sibi « hominem, vel sùa, relinquit ea voluntati hominis ». Quibus verbis hoc significare vult Scotus, cum servitus non sit intrinsece mala nec de iure naturae prohibita, hinc contra legem non agit, qui, necessitate coactus, servituti aliorum se tradit.

Animad. § *60.*

115. Hinc facile etiam intelliguntur alia verba quae Censor adnotat in subsequenti numero, quaeque ipse ad litteram omnino non transcripsit. Scotus enim, in loco a' clarissimo Censore citato, cum servitutem in liberam et coactam distinxisset, de prima dissereus, ait quod « *licet talis subiectio* (ea scilicet quam voluntarie quis suscipiat) *esset fatua*, « *imo forte contra legem naturae* (idest dissonum « iuri naturae) *quod homo libertatem suam a se « abdicet, postquam tamen facta est, necesse est ea*

Animad. § *61.*

« *servare, quia hoc est iustum* » idest debitum vi contractus venditionis sponte facti; dummodo tamen, et hoc facile subintelligitur, ne conscientiae suae libertatem vendiderit.

116. Tandem circa idem obiectum servitutis haec alia animadvertit egregius Censor ex vol. 24. pag. 461-462, « *Domini de stricta iustitia possunt vendere unum* « *istorum* (servorum) *in terram et regionem remotam* « *sicut bovem vel asinum pro necessitate sua . . . Si* « *autem sit simpliciter possessio domini ut bos vel* « *equus, tunc ad nihil potest se donare alteri, non* « *plus quam bos et equus* ». — Priora verba referri debent ad ius strictum quod ex iustitia habere videbatur dominus in locis in quibus servitus iuxta leges civiles, quas Ecclesia non prohibebat, permittebatur, uti factum est in antiquo Romano Imperio. Ut vero posteriora verba recte intelligantur, ob oculos haberi etiam debent quae in eadem quaestione docet idem Doctor Subtilis. In hac enim distinctione quaerit « *utrum servitus impediat* « *matrimonium contrahendum* » et docet servitutem per se non impedire matrimonium « quia **servus** « **potest invito domino matrimonium** « **contrahere,** *dummodo reddat sibi quod suum* « *est, temporibus et locis convenientibus* ». Immo etiam affirmat dominos, qui, postquam servorum coniugio consenserunt, eos ad invicem separarunt, mortaliter peccare, et censura ecclesiastica compellendos esse ut servos liberos dimittant quantum ad debitum coniugale. Nam, ait « *servus non est* « *possessio domini sui quoad omnes actus eius, quin* « *immo quoad aliquos actus fuerit liber et sui iuris,* « *quando scilicet non occupatur in servitiis domini* « *sui, et quoad illos potest se donare alteri* ». Ex quibus colligitur posteriora verba a Censore commemorata non esse intelligenda nisi de casibus extraordinariis, in quibus servus voluntati suae ex toto renuntiat, vel in poenam servituti cogitur.

Animad. § *62.*

XI. — Circa hierarchiam.

117. Quoad hierarchiam Censor animadvertit Scotum in vol. 16, pag. 691, docere probabile in Ecclesia primitiva Episcopos non distingui a presbyteris. « In « Ecclesia primitiva omnes Sacerdotes erant Epi- « scopi, et magis ex usurpatione facta est distinctio « inter Episcopos et Sacerdotes quam ex institu- « tione divina » (Vol. 24 pag. 4). — Si quis hisce in verbis deprehendere vellet accuratam disquisitionem de distinctione Episcopos inter et Presbyteros sese falleret profecto; nihil enim simplicius rectiusque dictum, quam illa verba Scoti, qui de ministro Confirmationis disserens et occasionem nactus a D. Gregorio, qui Presbyteris facultatem confirmandi concessit, quatuor hac de re exponit sententias, quarum tertia est S. Hieronymi, iuxta quem in Ecclesia primitiva non erat differentia inter Episcopos et Presbyteros; et affert duos textus sancti Doctoris, de quibus dicit: « . . . *illae aucto- « ritates sunt exponendae, sicut Glossa exponit, sci- « licet quod* **forte nomina erant synonima, « et administratio, idest gubernatio « Ecclesiae communis fuit; sed tamen « non dispensatio quaecumque sacra- « mentorum** ». Scotus igitur auctoritatem S. Hieronymi affert nihil addens ex parte sua. — Eadem quaestio tractatur in vol. 24 pag. 4, verbaque a Censore adnotata non scripsit Scotus sed S. Hieronymus super Epistola ad Titum.

Animad. § 63.

118. Plura alia clarissimus Censor collegit ex libro *De perfectione Statuum*, Vol. 26 pag. 500 et seqq., ex quibus concludit Scotum nimis deprimere conditionem et vitam praelatorum, plus aequo exaltando conditionem et vitam praedicantium. Necessarium omnino non putamus aliquid ad singula

Animad. § 64.

respondere. Commemorare sufficiat librum *De perfectione Statuum* Scotum habere auctorem valde dubitandum esse; quare clarissimus Waddingus, qui singulari diligentia ac peritia opera Scoti edenda curavit, hunc librum in sua editione minime inseruit, et quamquam modo invenitur in editione Parisiensi, non ideo tamen soluta dici potest quaestio de illius authenticitate.

119. Sed quidquid de hac quaestione ponere lubeat, auctor loquitur de personis et conditionibus sui temporis, uti patet ex asserto: « *Status Praelatorum est talis* etc. » Neminem vero latet tunc temporis imperfectiones haud modicas inter Praelatos adfuisse, multumque defuisse animum boni praedicatoris. Quare etiam alii viri, recta fide et sensu vere catholico illustres, de abusibus in Ecclesia tunc vigentibus conquesti sunt. Ceterum auctor auctoritatem ac dignitatem Romani Pontificis atque Episcoporum expresse agnoscit. Ait enim pag. 503: « Papa est Christi Vicarius, non solum in quantum « Christus fuit Ecclesiae praelatus, sed in quantum « fuit totius mundi Dominus, et quod iuste de « terris et bonis infidelium potest ordinare. Quem « statum habent Cardinales, et quare vocat eos « generaliter fratres, tamen scribendo Cardinalibus « non episcopis vocat filios, et quare vocat Epi« scopos fratres ». Tandem Liber explicit hisce verbis quae rectitudinem auctoris plane probant: « *Ista humiliter sunt dicta, et sine aliqua praesum« ptione vel temeraria assertione sunt scripta* ».

120. Ad postremum suarum Adnotationum caput deveniens primus Censor monet peculiares animadversiones fieri debere « circa librum *Collationes* « (*Vol. 5*), in quo Scotus apparet scepticus, gerens « munus philosophi in utramque partem, nihil pro « veritate concludens; atque etiam expendere opor« tere critice et historice quo fine illud opus sit « compositum, in qua inquisitione potest fieri lux *Animad.* § *65.*

« circa doctrinam. — Insuper liber — *Theoremata*
Animad. § *66.* « — in quo auctor vere agnosticus manifestatur, « negando valorem universalem rationis, nihil re« liquens ut firmum et demonstratum ». — De libro qui « *Theoremata subtilissima* » inscribitur jam diximus (Cfr. Animad. §§ 51 55). Quod attinet ad librum cui titulus « *Collationes* seu *Disputationes subtilissimae* » adhuc insoluta quaestio est utrum Scoto sit attribuendus an non. Clarissimus Waddingus, quem pluries commemoravimus, in praefatione ad hunc librum, ait: « *Opusculum hoc inter* « *reliquas Scoti elucubrationes reposuit Henricus* « *Willotus, et Antonius Possevinus* (S. J.). **Miror « Ioannem Pitsaeum, sollicitum Scoti « operum indagatorem, neque inter « tot codices Mss. scriptorum huius « Doctoris, quos in Anglia, Lotharin« gia et alibi se offendisse narrat, re« perisse, neque inter alia a se recen« sita numerasse.** *Ab initio prodierunt cum* « *reliquis Scoti operibus, sed inculpta et corrupta* ». Conatus posteriorum criticorum, nostro quidem iudicio, haud maiorem attulerunt lucem circa authenticitatem, integritatem vel interpolationem huius libri. Quidquid vero sit de hac quaestione, parum nostra interest; illud enim nobis sufficit quod scilicet difficultates quas primus Censor ex isto libro desumpsit, a nobis suo loco iam expensae ac resolutae sunt, et ab illis quaecumque scepticismi nota est penitus eliminanda, et in hoc opere nihil invenitur quod theologica Censura plecti possit, quod etiam colligimus ex silentio secundi Theologi Censoris.

121. Adnotat insuper egregius Censor quod « modus « problematicus procedendi saepe adhibetur a Scoto, « qui validus in aggressione adversariorum, expe-
Animad. § *67.* « ritur difficultates et dubitationes in aedificio « scientifice construendo ». — At quod Censor Doctori Subtili vitio vertit, in eius laude ponere alii for-

tasse possunt, quippe in eo procedendi modo summum ingenium maxima cum humilitate coniunctum vident. Quum enim agitur de rebus hominum disputationi relictis, quis ignorat quam parum sit fidendum humanae rationi humanaeque scientiae postulatis? Nihilominus quam longe est ratio procedendi Scoti a systemate eorum qui dicunt de omnibus esse dubitandum! Quantum distat ab Agnosticis, quibus nonnisi phenomenon est criterium veritatis ac certitudinis! quantum ab insaniis Modernistarum, qui nimiun scientiae addicti, fidem ad nihilum redigunt! Ille fuit vere scholasticus, et a communi aliorum scholasticorum doctrina nunquam recessit: quoties vero eius mens anceps remansit, ad ecclesiae magisterium secure confugit, quae sola *veritatis spiritu edocta est.* Qui Scoti scripta, omni partis studio seposito, diligenter percurrerit, fieri non potest quin perspectum exploratumque habeat iniuste ipsi multa fuisse tributa. Ceterum, quae de procedendi modo in disputationibus Censor hic adnotat, Scoti doctrinam de qua tantum solliciti nunc sumus, non attingunt; quare de his parum nostra interest; eademque de causa ea praetermittimus quae Censor habet de parva cohaerentia in Scoti doctrinis, haec enim nonnisi sententiam Censoris propriam produnt, quae ad causam nostram minime pertinent.

122. Nonnulla vero dicemus ad ea quae postremo loco Censor adnotat de *oppositione systematica*, ut ipse ait, doctrinam inter Scoti et S. Thomae; ex qua, concludit: « *innumerae laudes ab Ecclesia doctrinae* « *thomisticae tributae, videntur in detrimentum Scoti* ». — Hisce verbis, uti quisque videt, clarissimus Censor sese tandem manifestat ardentem scholae thomisticae sectatorem, nobisque causam pernoscere dat ob quam plura adnotatione digna duxit, licet nullus in his « *error continteatur contra fidem vel* « *bonos mores vel doctrina aliqua nova et peregrina* *Animad.* § *68.*

« *atque a communi sensu Ecclesiae et consuetudine* « *aliena* » (Benedict. XIV, Lib. II, cap. 28, n. 5). Quamquam enim ipse fateatur se prae mente habuisse verba Scoti « *Homines nutriti et habituati* « *in opinione alicuius Doctoris nihil dignantur au-* « *dire vel suscipere quod repugnat opinioni illius, et* « *quidquid consonat illi opinioni reputant verum et* « *suscipiunt libentissime et gratanter* » (Vol. V, pag. 574), facto tamen ostendit quanto iure verba illa Scotus scripserit, quamque difficile cuique sit de sua sententia recedere.

123. Sed tandem aliquando cuius generis est oppositio vel differentia doctrinam inter Scoti et S. Thomae? *In rebus certis* nulla est profecto; quid vero mirum, quid probro dignum, si differentia aliqua sit circa valorem argumentorum quibus veritas aliqua probatur, vel circa modum quo veritas ipsa concipitur, vel circa quaestiones quae inter scholasticos libere agitabantur? Nonne etiam tunc temporis, sicut nunc, illud vigebat: « *In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas* » ? Nec ab hac regula unquam deflexit Scotus, qui *de opinabilibus* tantum, *solo veritatis studio* ductus et *maxima semper usus caritate*, disputavit. Hac de re testimonium habemus ipsum Censorem scribentem: « *quoties id potest* « **sine offensa fidei,** *Scotus conatur refutare* « *Doctorem Angelicum,* **non tamen ipsum offendit** ». Idem confirmant innumeri rerum theologicarum scriptores, quos inter commemorare sufficiat, ex Ordine Praedicatorum, Thomam Campanella, qui anno 1626 haec scribebat: « *Dat Fran-* « *ciscus Ioannem Scotum, Doctorem Subtilem, miri-* « *fico praeditum ingenio, adversus Sanctum Thomam* « *egregie pugnantem,* **non puto ex invidia** « **sed bona aemulatione perci̇tum** »; item, ex eodem Ordine, P. Ioannem a S. Thoma, qui in suo *Cursu Theologico* (Tom. I, disp. I, Art. III, fol. 206) ait: « *Qui, sine irreverentia vel con-*

« *temptu, divi Thomae doctrinam deserit et aliam* « *sequitur, etiam oppositam,* **nullam censuram** « *meretur, sed unusquisque in sensu suo potest abun-* « *dare, sicut Scotus in multis divi Thomae doctrinam* « *impugnavit,* **sed hoc cum magna mode-** « **stia et nulla irreverentia** ». Tandem H. Hurter e Societate Iesu, in suo " *Nomenclator Litterarius* ,, (1899): « *Ab ea* (idest a doctrina S. Tho- « mae) *recedit* (Scotus), **sed absque studio** « **et ira, tranquille et solius veritatis** « **inquirendae vel determinandae ra-** « **tione habita** . . . *unde certo solidum et accu-* « *ratum Theologiae studium haud parum promovit* « *et dilatavit* ». Nec quisquam id miretur; haud enim aliter sese gerere poterat qui docuerat: « *In* « *eligendo vel fugiendo opinionem* **non debet** « **homo duci amore vel odio opinantis,** « **sed potius ipsa veritate**; *et ideo amare* « *utrosque oportet quia utrique iuvant ad inquisi-* « *tionem veritatis* » (Vol. VI, pag. 571).

124. Haec cum ita se habeant, quis Doctorem Subtilem arguere audeat, quia honesta utens libertate, *in libere disputabilibus*, cum divo Thoma disputavit? Nonne hanc disputandi libertatem tuita semper est Ecclesia? Si Romanorum Pontificum « ***constans*** « ***sententia fuit, ducem ac magistrum in theo-*** « ***logiae et philosophiae studiis Sanctum Tho-*** « ***mam haberi opus esse*** », uti meminit feliciter regnans Benedictus PP. XV in suis Litteris diei 19 martii 1917 ad Praepositum Generalem Societatis Iesu, id tamen semper factum est « **integro** « **cuique de iis in utramque partem disputare** « **de quibus possit soleatque disputari** » (Ibid.). Immo si mentem gloriosi eiusdem Pontificis intimius hac de re cognoscere volumus, audiamus ipsum Praepositum Generalem Societatis Iesu testantem Illum sibi significasse in Audientia sibi et Patribus **As-**

sistentibus concessa die 17 febr. 1915 (1): « Velle quidem se omnino, ut S. Thomae doctrinam se« queremur, ***at nullo pacto ut libertas opinandi « restringeretur in iis quoque rebus et quae« stionibus, de quibus disputaretur inter catho« licos, et quae disputabiles essent... timere « se potius, ne, hac libertate praecidenda alae « simul ingeniorum inciderentur cum damno « profundioris studii theologici*** ». Quam quidem sententiam iam ab initio sui Pontificatus publice edixerat in primis suis Litteris Encyclicis ad universum orbem, haec scribens: « ***In rebus de qui« bus salva fide ac disciplina*** (cum Apostolicae « Sedis iudicium non intercesserit) ***in utramque « partem disputari potest,*** **dicere quid sentiat « idque defendere, sane nemini non licet.** ***Sed « ab his disputationibus omnis intemperantia « sermonis absit, quae graves afferre potest « offensiones caritati; suam quisque tueatur « libere quidem, sed modeste sententiam; nec « sibi putet fas esse, qui contrariam teneant, « eos, hac ipsa tantum causa, vel suspectae « fidei arguere vel non bonae disciplinae*** » (2). Quis, clarissima haec Romani Pontificis verba prae oculis habens, damnare audeat Doctorem Subtilem eo quod in libere disputabilibus **quam modestissime** disputavit cum divo Thoma? Nec praetereundum est Scotum opera sua litteris mandasse paucis annis post mortem Angelici doctoris, scilicet cum iste non modo ad altarium honores nondum erat evectus, non modo eius doctrina communis

---

(1) Epistola Praepositi Generalis Societatis Iesu: « *De doctrina S. Thomae magis magisque in Societate fovenda* pag. 39.

(2) Epistola citata pag. 43.

in Ecclesia nondum erat, verum etiam plures illius sententiae ab ipsis Dominicanis fortiter impugnabantur.

125. Ex dictis etiam patet quam falso primus Censor affirmet *innumeras laudes ab Ecclesia doctrinae thomisticae tributas, in detrimentum Scoti videri.* Si enim S. Thomae doctrina, in praesentiarum communior est in scholis catholicis, eiusque sententiae vulgatiores sunt quam Alexandri Halensis, Alberti Magni, S. Bonaventurae, Scoti, ipsiusque Magistri Sententiarum; si Romani Pontifices summis laudibus extulerunt S. Thomae doctrinam (quod iure optimo meritoque factum esse libentissimo animo fatemur), falso tamen atque iniuria quis affirmaret id cedere in detrimentum et contemptum aliorum omnium scholasticorum, quorum e contra doctrina, sanctitas ac auctoritas scientifica magno semper in honore apud Ecclesiam fuit et est. Ceterum hic non quaerimus quisnam Doctorum sit maior, nec sane defendimus Scoti doctrinam anteponendam esse doctrinae S. Thomae; strenue tamen defendimus Scoti doctrinam a doctrina Ecclesiae non esse alienam, immo vero cum ea plane congruere.

126. Item nescio quo pacto egregius Censor post quam *ex debito conscientiae* affirmavit ea quae ipse adnotavit « *non obesse causae beatificationis* », una vix linea interiecta, dicere potuerit « *quoadusque Scoti* « *doctrina pensabitur ad trutinam aliarum schola-* « *rum theologicarum causa non proficiet* ». — Nam si Scoti doctrina nihil continet contra fidem aut bonos mores, nihil quod ab Ecclesia damnatum sit aut damnari possit, paucis verbis, nihil quod « *cau-* « *sae beatificationis obesse possit* », qua ratione Causae profectui impedimento esse potest comparatio cum doctrinis aliarum scholarum theologicarum? Ceterum iudicium de hoc ferent Eminentissimi Patres. Nobis vero persuasissimum est nullam ex hac Causa divum Thomam esse passurum diminu-

tionem, eoque vel minus Ecclesiam illum extollentem. Immo vero contrarium futurum putamus. Si enim ex una parte Romani Pontifices doctrinam Angelici *uti tutam normam directivam* proposuerunt, ex alia *honestam illam libertatem*, quae, historia teste, ad detegendam et confirmandam veritatem maxime confert, reliquerunt ac magnopere commendarunt. Quare approbatio scriptorum Scoti, dum honestae illius libertatis sanctionem continet, silentium imponet adversariis alte conclamantibus Ecclesiam inimicam esse cuiuscumque legitimi progressus in scientiis.

127. Tandem praetereundum nobis non est disputandi libertatem, qua modestissime usus est Scotus, uberrimum attulisse fructum Ecclesiae, nempe dogma de Immaculato Virginis Conceptu; qua de re haec perbelle adnotat clarissimus secundus Censor: « *Doctor Subtilis et per ipsum universus Ordo Sera-« phicus hanc laudem adepti sunt in Ecclesia ut « Beatae Virginis Immaculatam Conceptionem* **do-« cuerint etiam tunc quum alius reli-« giosus Ordo in Ecclesia Dei non « minus insignis Doctorem suum An-« gelicum sequens hanc veritatem vel « negabat vel tacebat.** *Certe in multis mere « scholasticis disquisitionibus a Doctore Angelico « discrepat Doctor Subtilis.* **Sed dissensus in « quaestione de Virginis Deiparae « Conceptione tantum honorem irra-« diat in Scotum, ut umbra exorta ex « alio dissensu in metaphisicis evane-« scere videtur** » (Animad. 2 pag. 38). Atque de his satis.

RESPONSIO
ad iudicium secundi Theologi deputati.

128. Perpaucis me expediam ab iis quae in Scoti operibus adnotatione digna existimavit clarissimus alter Theologus Censor deputatus, qui cum muneri suo *ea qua par erat fidelitate* satisfecerit, quaedam adnotavit quae, uti ipse fatetur, « *in tanta mole scriptorum pauca omnino sunt* »; eorumque quae adnotavit solutiones ac responsiones quas aptas ac probabiles iudicavit, iuxta normam a Benedicto XIV traditam, subiecit. Mirabitur fortasse aliquis de paucitate Adnotationum secundi Censoris, praesertim in comparatione alterius theologi deputati; illud vero iam mirari desinet, si perpendat secundum Theologum in revisione horum scriptorum regula ac iudicio a Primo plane diversis usum esse, uti ex hisce suis verbis clare colligitur: « *Multa « habet Scotus quae contraria sunt opinionibus S. Tho- « mae Aquinatis.* **Sed illa notare visum « non est; quia in his agitur de quae- « stionibus mere philosophicis libere « disputabilibus et in omnibus quae « heic profert Doctor Subtilis semper « catholice loquitur,** *et praeterea dum honesta « libertate sibi ab Ecclesia relicta utitur,* **nunquam « a religiosa caritate erga adversa « sentientes discedit** ». Quae doctissimi Censoris verba iterum, si opus esset, confirmant quae alias animadvertimus, nempe multo pauciores futuras fuisse adnotationes primi Censoris, nisi ipse *in opinione alterius Doctoris* (lege S. Thomae Aquinatis) *nutritus et habituatus*, **nihil quod opi-**

nioni illius repugnat audire vel suscipere voluisset.

Animad. § 1. 129. Quibus pro veritate animadversis, ad Adnotationes secundi Theologi devenimus, qui animadvertit praeprimis videri « piarum aurium offensiva pro- « positio qua Doctor Subtilis (in Tom. 1 pag. 2) « explicat cur nomen *deitas* sit foeminini generis « etiamsi in Deo nulla sit proprietas patientis a « qua sumi possit foemininum genus: *licet in Deo « secundum veritatem non sit proprietas passiva, « tamen imaginamur ipsum tamquam patientem a « nostris precibus* ». — Opportune vero idem Censor animadvertit hanc loquendi rationem excusatione dignam habendam esse, si respectus habeatur ad consuetudinem veterum scholasticorum qui huiusmodi inquisitionibus facilius indulgebant. Neminem latet S. Thomam, Scotum aliosque doctores scholasticos hypothesim sibi fecisse Personam divinam assumere potuisse etiam lapidem in unionem hypostaticam, et sic Deum fieri potuisse lapidem. Quis nostrum ita loqui auderet? Mutantur hominum consuetudines, cum iisque mutantur etiam loquendi et sentiendi rationes; quaeque piarum aurium offensiva hodie habentur, communia alio tempore erant.

Animad. § 2. 130. In Tomo II, quaest. 11 pag. 109, clarissimus Censor animadvertit Doctorem Subtilem principium ponere ex quo multi errores in re theologica sequi possunt. Scribit enim « *nam certitudo est ad quam- « libet partem alicuius propositionis, et potest esse respectu « erroris sicut respectu veritatis* ». — Verum Censor ipse fatetur se nullum invenisse in Doctoris Subtilis operibus locum in quo ipse videatur propter huiusmodi principium fuisse in errorem ductus; ideoque putat hanc propositionem in mente Doctoris Subtilis vel fuisse merum errorem philosophicum, vel probabilius eam fuisse oscitanter prolatam ac proinde omnino non esse excludendam be-

nignam interpretationem, intelligendo certitudinem, de qua est sermo, esse *certitudinem existimatam*.

131. Haec ipsius clarissimi Censoris explicatio satis iam est ut censoria nota deleatur, qua citata propositio dicitur erronea vel ad errorem inducens. Nam nec Scotum ad errorem duxit, uti Censor ipse fatetur, nec eius discipulos, qui numquam, huic propositioni innixi, talia docuerunt de certitudine quae vel a longe relationem haberent cum doctrinis Modernistarum in propositione 23ª a Pio X damnatis. Nec facile credemus Doctorem Subtilem errasse in re tam plana; quisque enim facillime intelligit elementarem distinctionem inter veritatem et errorem, certitudinem et evidentiam. Evidens, inquit Scotus, non potest esse nisi veritas cui nemo contradicere potest, dum certitudo dari potest etiam de errore: evidentia est de se obiectiva, dum certitudo est subiectiva et potest esse respectu veritatis in uno subiecto, respectu erroris in alio. Nonne omnes Theologi Moralistae, cum agunt de conscientia erronea, hac in re cum Scoto consentiunt? Haec de clarissimi Censoris iudicio.

132. Sed insuper recte animadvertendum est in loco citato non agi ex professo de criteriis veritatis, de scientia, de certitudine fidei et rationis, de relatione scientiam inter et fidem vel de aliis huiusmodi, sed *de regulis logicae*; et verbis a Censore relatis explicatur **syllogismus expositorius** qui est forma syllogismi secundaria. Loquens igitur Scotus et explicans certitudinem quam huiusmodi syllogismus parit, ait: « *Et dico notabiliter,* « *cui esset certum, et non cui esset evidens, quia* « *certitudo se habet in plus quam evidentia. Nam* « *certitudo est ad quamlibet partem propositionis* « (intellige in syllogismo expositorio) *et potest esse* « *respectu erroris sicut respectu veritatis. Sed nihil* « *est evidens nisi verum* ». Utrum hisce in verbis

inveniatur error, Logicorum est dicere, non vero Philosophorum ac Theologorum.

133. Quod si obiectae propositioni sensum absolutum dare quis velit, non potest tamen eam referre ad certitudinem fidei, quae est infallibilis, propter auctoritatem Dei revelantis et Ecclesiae proponentis, sed ad certitudinem ordinariam, humanam, quae involvit firmitatem assensus, non vero infallibilitatem, quaeque a S. Thoma definitur « *firmitas adhaesionis virtutis cognoscitivae ad suum cognoscibile* » (3 Dist. XXVI, q. 2. art. 4). Porro haec firmitas adhaesionis fit re vera absque formidine oppositi, sed non infallibiliter, ideoque iuxta Philosophum, notat Angelicus, (Quodl. 6, art. 6) quod quis non minus firmiter adhaeret falsitati quam veritati. Quare non video quo pacto haec assertio Scoti, quae est etiam S. Thomae, cadat in Prop. 23 a Pio X damnatam : « *Criticus tamquam falsa reiicere possit facta, quae Ecclesia tamquam certissima credit* ».

Animad. § *3.*

134. De iis quae egregius Censor animadvertit in librum primum Physicorum Aristotelis, Tom. II, quaest. 7 et 8 pag. 390 et 397. nonnulla iam egimus in responsione ad Adnotationem § 33 primi Censoris; quibus haec addimus ad pleniorem rei intelligentiam. Secundus Censor quaestionem de accidentibus eucharisticis tum theologice tum philosophice considerat. Sub prima ratione quamcumque censuram excludit in verbis Scoti : et recte quidem, nam, uti probe notat clarissimus Pesch « *Semper memoria tenendum est hanc quaestionem* « *quomodo species sunt,* **esse mere specula-** « **tivam et philosophicam,** *in qua possit* « *unusquisque abundare in sensu suo, dummodo* « **obiectivam realitatem specierum** *ita* « *statuat, ut doctrinae traditionis satis fiat* » (*Prael. Dogm. Tom. VI p. 329 n. 714*). Et *n. 716* eiusdem folii : « *Cum vix ideam habeamus huius quanti-*



« *tatis, de modis eius disputare poene* **erit di-**
« **sputatio de meris verbis** ». Scotum vero admittere in Sacramento eucharistico permanentiam accidentium sine substantia; data opera demonstrare quantitatem esse accidens a substantia distinctum eiusque per miraculum separabilitatem, clariis verbis declarat ipse Censor.

135. Quoad quaestionem philosophicam, de qua unice agitur in *quaest. 8*, Censor abundet in sensu suo. Attamen pro veritatis amore duo sunt notanda: 1. — *Pag. 396* eiusdem quaestionis, Scotus haec habet: « Alii vero (idest S. Thomas *I part. q. 77,* « *art. 2*) de tertia opinione probant, quod *quanti-* « *tas sit res distincta a substantia et qualitate* »; hancque sententiam Scotus suam facit dicendo « **de** « **quantitate sit conclusio ista**; nempe « *quantitas est res distincta a substantia et quali-* « *tate* ». — 2. — In sequenti *pag. 397*; legitur: « .... quantitas est dispositio inhaerens substantiae, « secundum quam partes substantiae ab invicem « distant, et sunt extra se invicem: quam dispo- « sitionem esse separatam a substantia implicat « contradictionem, ut deductum est in quaestione « praecedenti. Nam quantitatis esse, est substan- « tiae inesse, igitur sequitur quantitas est; igitur « substantiae inest, et si sit separata, non inest, « quod est contradictio ». — Huic philosophicae theoriae poterit quidem aliquis contradicere, at, praecisione facta a miraculo eucharistico, quaenam alia sententia rationalis ac rationabilis adduci possit, non video.

136. Etiam de iis, quae Theologus eximius adnotat in *Tomo IV, lib. 1 quaest. III art. 2*, diximus iam in responsione ad Adnotationes primi Censoris §§ 4 et 8-9. Nonnulla tamen addere opportunum ducimus quoad iudicium secundi Censoris dicentis Scotum heic docere aliquid esse secundum philosophiam negandum quod deinde ait secundum fidem *Animad. § 4.*

esse admittendum, ex quo videtur viam sternere modernistis qui praecise docent aliquid posse esse philosophice falsum et theologice verum. — Namque dato etiam et non concesso sensu a Censore tributo verbis Scoti, non videmus quaenam habeatur relatio cum theoria modernistarum. Isti quidem blaterant aliquid posse esse philosophice falsum et theologice verum, dum Scotus, admisso sensu Censoris, in praesenti quaestione crederet fide quod **philosophice obscurum nec apodictice demonstrabile** ipsi videtur. Quae quantum inter se differant, nemo non videt.

137. Sed praeterea undenam Censor colligit Scotum docere, aliquid esse negandum secundum philosophiam et affirmandum secundum fidem? Neque hic neque aliis locis, sive expresse sive latenter, quid simile invenire nobis datum est. Immo asserere non dubitamus Doctorem Subtilem in rebus certis veritatem rationalem cum revelata semper amico foedere coniungere, ac tunc tantum ad Ecclesiae magisterium recurrere, cum debilitate argumentorum rationalium cogitur. Si autem huiusmodi procedendi ratio modernismum sapit, quis unquam illum respuat?

Animad. §§ *5, 6, 7.*

138. Omittimus quae secundus Theologus animadvertenda duxit *in Tomo V*, quia de his fuse egimus in responsione ad Adnotationes primi Censoris §§ 65-66; (cfr. pag. 49, 50).

Animad. § *8.*

139. In Tomo IX dist. III pag. 191, clarissimus theologus Censor quaedam verba deprehendit quae, uti ipse ait, ontologismum sapiunt. — At si Ontologi tum a divo Augustino, tum a S. Bonaventura, tum ab ipso Angelico Doctore favorem captare conati sunt, nihil tamen unquam, quod suis sententiis suffragaretur, ex Doctore Subtili haurire potuerunt. Verba vero quae clarissimus Censor adnotat propter reverentiam erga S. Augustinum a Scoto prolata sunt. Ait enim pag. 187 : « *Ad quae-*

« *stionem igitur dico* **quod propter verba** « **Augustini** *oportet concedere quod veritates in-* « *fallibiles videntur in regulis aeternis* » ; et re vera passim Augustinum citat. — Ceterum in memorata quaestione Scotus contra Henricum Gandavensem probare vult, quod « aliqua veritas certa « et sincera cognosci possit naturaliter ab intel- « lectu viatoris absque speciali illustratione lucis « increatae » ; et contra Henricum ait : « In oppo- « situm ad Rom. I *Invisibilia Dei a creatura mundi* « *per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* « Sed istae rationes aeternae sunt invisibilia Dei, « ergo cognoscuntur ex creaturis, ergo ante visio- « nem istarum habetur certa cognitio creatura- « rum ». Et *vol. 8 pag 36* : « Dico, quod ista quae « cognoscuntur de Deo, cognoscuntur per species « creaturarum » ; *Vol. 5 pag. 188* : « In via intel- « lectus noster cognoscit Deum per creaturas, di- « scurrendo a creaturis ad Deum » ; et in eodem *vol. 5 pag. 204:* « Per creaturam intelligimus « Deum, nec eum intelligimus nisi per creaturam » ; similia habet in *Vol. 8 pag. 414* ; *vol. 22 pag. 16* et alibi. Concludimus ergo in casu nonnisi nimia reverentia erga suum Magistrum, divum Augustinum, improbanda esset Scoto.

140. Omittimus quae clarissimus Censor adnotanda duxit in Tomo XIII pag. 66, ubi Scotus affirmat *Animad. § 9.* non posse philosophice demonstrari animae humanae immortalitatem, quum quia eidem difficultati satisfecimus in responsione ad Animad. § 48 primi Censoris, tum etiam quia secundus Censor quamcumque notam theologicam ipse excludit atque aperte fatetur Scotum non affirmare positive animam rationalem secundum philosophiam esse mortalem, sed solummodo negare eiusdem immortalitatis philosophicam demonstrationem esse possibilem ; quae duo sunt valde diversa.

141. In Tomo XIV pag. 166 *parum tuta* videtur cla-

Animad. § *10.* rissimo Theologo doctrina Scoti negantis esse necessarium aliquem habitum infusum in voluntate ad hoc ut fides sit in intellectu. — Curnam vero haec Scoti doctrina parum tuta dici possit, non video. Si enim agitur de homine adulto nondum iustificato, praesupponitur in eo fides, licet nondum habeat habitum infusum voluntatis, idest habitum charitatis infusae. Si vero agitur de fideli, qui per peccatum, una cum gratia sanctificante amisit etiam habitum infusum charitatis, ille potest conservare habitum supernaturalem fidei, et quidem liberum, licet non sit meritorius de condigno. Unde ab Alexandro VIII, die 7 decembris 1690, damnata est propositio: « *Quando in magnis peccatoribus de-* « *ficit omnis amor, deficit etiam fides; et etiamsi* « *videantur credere, non est fides divina, sed hu-* « *mana* ».

142. In Tomo XVI, pag. 408, egregius Censor haec verba adnotat: « *Potest tamen in parentibus unius* « (baptizati) *esse maior motus quam alterius pro* « *parvulo, vel aliquibus aliis ministrantibus vel as-* « *sistentibus Baptismo, propter quorum merita Deus* « *uni parvulo potest conferre maiorem gratiam quam* « *alteri; sed hoc non virtute Baptismi, sed meriti* ». — Curnam vero hoc assertum componi non potest cum doctrina Tridentini de efficacia sacramenti ex opere operato, uti affirmat clarus Censor? Concilium Tridentinum, *Sess. 12, De Sacr. in genere, can. 8*, nihil aliud reprobat quam opinionem Novatorum: « *ex opere operato non conferri gratiam,* « *sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam* « *consequendam sufficere* ». Porro hisce verbis docetur quidem gratiam conferri « *independenter a* « *meritis ministrantis vel suscipientis* », sed nullatenus innuitur, gratiam hanc non posse esse maiorem, si ministrantes vel suscipientes habent maiorem dispositionem. Imo potius docet oppositum in *Sess. 6, cap. 7:* « *Iustitiam in nobis recipientes*

Animad. § *11.*

« **unusquisque suam secundum men-**
« **suram,** *quam Spiritus Sanctus partitur singulis*
« *prout vult*, **et secundum propriam cuius-**
« **cumque dispositionem vel coopera-**
« **tionem** ». Verum quidem est parvulos, hanc dispositionem vel cooperationem ex sese ponere non posse ad uberiorem gratiam in Baptismo recipiendam ; ast, secundum communem doctrinam, si de congruo potest quis mereri gratias actuales pro altero, cur non ex opere operantis maiorem gratiam habitualem in ipso Sacramento conferendam, parentes, ministri, assistentes obtinere poterunt pro parvulo ? Imo haec pia Scoti doctrina sedulo commendanda videtur. Ceterum Censor ipse tenet hoc non esse contra doctrinam catholicam de efficacia sacramentorum ex opere operato, in altera Animadversione ad quam hic provocat.

143. In quaestione I *Tom. XVII pag. 7.* eximius theologus Censor quaedam animadvertit circa processum quo Scotus, in proponendis quaestionibus de reali Christi praesentia in Eucharistia, praemittit *Animad. § 12.* quaestionem de possibilitate realis praesentiae Christi Domini in Eucharistia et, post quam hanc quaestionem se solvisse existimat, proponit quaestionem de facto, utrum re vera Christus sit praesens in Eucharistia; quae procedendi ratio, ait Censor, in errorem ducere potest lectores. — At huiusmodi error penitus abesse nobis videtur si consideremus Doctorem subtilem scripsisse pro lectoribus christianis, qui Eucharistici mysterii revelationem probe noverunt, ac proinde ab omni errandi formidine tuti sunt, si, cognito per revelationem facto praesentiae Christi in Eucharistia, ratione tractationis methodicae inquiratur in eius possibilitatem. Ceterum haec procedendi ratio satis communis erat inter Scholasticos; atque ipse S. Thomas agens ex. gr. de mysterio Incarnationis, primo quaerit de eius convenientia : immo in Summa Theologica quaestiones semper a dubio incipit.

144. In Tomo XIX pag. 161, quaedam verba occurrunt quae incaute a Doctore Subtili scripta dicit egregius Censor, quippe in errorem inducere possunt. Scribit enim Scotus: « *minus obediunt homi-* « *nes soli legi naturae quam Deo praecipienti, quia* « *minus timent et reverentur conscientias proprias* « *quam auctoritatem divinam* ». — Haec verba Doctor Subtilis refert ad matrimonium quod indissolubile affirmat tum lege naturae tum lege positiva; et sensus eorum est: Cum adsit lex naturae, superflua videri posset lex positiva. Attamen quia homines minus timent conscientias proprias, quam auctoritatem divinam, opportune lex naturalis confirmata est lege positiva. Ex his igitur patet in loco citato non dari oppositionem inter legem naturae et Deum praecipientem, inter conscientiae dictamen et auctoritatem divinam, uti Censor ait, sed gradationem a minori ad maius.

[A]nimad. § 13.

145. Ultimo loco animadvertit clarissimus theologus Censor in Tomo XXIII pag. 318-319 Scotum admittere Christum Dominum posse aliquo modo dici *adoptatum*, licet nequeat dici *filius adoptivus*, adhibendo modum loquendi excusabilem quidem in eius intentione sed inauditum inter catholicos. — Quaestio igitur est mere scholastica, immo potius dialectica et grammaticalis, quam theologica. Doctor expresse negat Christum esse filium adoptivum, dicens in fine quaestionis p. 319: « *Licet aliquo* « *modo posset Christus dici adoptatus,* **non tamen** « **filius adoptivus** ». Etiam Censor declarat hunc modum loquendi esse immunem ab errore theologico. Est potius modus loquendi, Scholasticis communis; et Doctor hic putat in natura humana Christi posse inveniri illas tres conditiones, quas Iurisperiti ad adoptionem requirebant, scilicet « quod adoptatus includit ordinem ad haeredita- « tem, et quod sit extraneus, quantum de se est, « et quod gratuitas adoptantis sit ut iste adopte-

[A]nimad. § 14.

« tur » (p. 317). Praeterea, « Christus est praede« stinatus, *ad Rom. I, 4*; igitur adoptatus, quia « omne pradestinatum est adoptatum ». Tota quaestio est sine valore theologico, mere scholastica, cuiusmodi etiam apud alios antiquos Doctores occurrunt. Alibi, ubi Scotus, non dialectice speculatur, sed simpliciter fidem proponit, expresse et sine ulla restrictione dicit Christum non esse filium Dei adoptivum. *Vol. 14, p. 415*, in quaestione, utrum Christus sit creatus, inter alia respondet: « *Omnis creatura rationalis est filius Dei per* « *adoptionem vel potest esse;* **Christus non** « **potest esse filius adoptivus** *ex praece-* « *denti quaestione; ergo non potest dici vel esse* « *creatum* ».

146. Haec ad ea quae clarissimi Theologi Censores adnotanda duxerunt in Scriptis Servi Dei Ioannis Duns Scoti, prout edenda curavit praeclarus Waddingus accurateque recognoverunt Patres Franciscani in recenti editioni Parisiensi, quam Censores prae oculis habuerunt. — Quia vero praeter haec typis vulgata, alia Scotus reliquisse videtur scripta, religiosissimus Fidei Promotor a nobis quaerit quaenam diligentiae et investigationes sint peractae ad ea detegenda, quae desiderantur scripta, et quid censendum sit de aliis quae deperdita sunt. — Quamquam a novis investigationibus peragendis liberare nos potuisset quum summum studium quo Patres Franciscales eruditissimi elucubrationes Scoti quaesierunt ut ab oblivione vindicarent, tum potissimum ipsius Waddingi dicta, qui in Praefatione generali (cfr. t. I) testatur: « *Congregatis omni-* « *bus operibus hucusque editis, perlustratis Urbis* « *bibliothecis, praesertim Vaticana, consultis in lon-* « *ginquis regionibus amicis, id tandem effeci ut ope-* « *ra omnia scholastica consequeremur* »; tamen ut clarissimo Fidei Vindici satisfaceret, sedulissimus Causae Postulator, novas diligentias ac investiga-

tiones per doctissimos viros, qui omni ope atque industria in id generis studio versati sunt, faciendas curavit: nullo tamen exitu id factum est, uti patet ex praeclarorum ipsorum virorum litteris, quas in Summario Additionali collegimus.

147. Quare cum, ipsius Fidei Vindicis commendationem prae oculis habentes, « viderimus atque singula reli-« giose perpenderimus quae eruditissimis censoribus « notatione digna visa sunt, omnemque diligentiam « ad eadem explananda penitusque diluenda impen-« derimus », nihil pro certo habemus superfuturum « esse, quod in catholico et eximio scriptore ad alta-« rium honores provehendo, iure valeat reprehendi ». — Numeris omnibus absolutum opus nos perfecisse haud sane contendimus, fatemurque libenter multo plura afferri posse ad Scoti doctrinae excellentiam atque orthodoxiam illustrandam. Illud vero praeterquam quod, attenta immensa scriptorum mole, nec non difficultatum numero, multum operis atque laboris expostulabat, muneris nostri limites longe praetergressurum fuisse duximus. Nam huius quaestionis finis haud profecto erat scriptorum Scoti merita pandere, sed tantummodo examinare utrum aliquid in his inveniretur quod Illius Causae beatificationis obesse potuisset. De hoc vero nec ipsorum Censorum conclusiones dubitare sinunt. Siquidem primus Censor, quamquam multa adnotavit, nihilominus concludit « **ominor tamen ea non obesse Causae beatificationis** »; item clarissimus alter Theologus: « *Quantum est* « *ex parte Scriptorum Ioannis Duns Scoti Doctoris* « *Subtilis*, **nihil prohibet, quominus in** « **Causa Beatificationis eiusdem Do-** « **ctoris Subtilis ad ulteriora proce-** « **datur** »; quae clarissimorum Censorum ex officio conclusiones, quantum conferant ad victoriam, nemo non videt.

148. Nec quisquam de hac praeclarorum virorum sen-

tentia miretur. Nam re sane vera in Scoti scriptis nullum dogma in discrimen adducitur; nulla veritas omnibus Doctoribus communis negatur, nulla sententia, quae fidei aut sanae philosophiae infensa vel periculosa sit, invenitur; nullum defenditur principium ex quo erronea, vel falsa, aut haeretica sequantur; nulla thesis adstruitur, quae catholica non sit, aut universali aliorum doctorum sententia adversa; nulla propositio, quae sive directe, sive indirecte censura damnata sit. Hac de re certiores nos facit Antonius Possevinus e Societate Iesu, qui in suo opere « *Apparatus sacer* » (Tom. 1 pag. 868) testatur: « *Cuius* (Scoti) *doctrinae* **grave « illud extat documentum,** *quod* **eius « libri, absque ullo erroris naevo,** *usque « in hanc diem, trecentos circiter annos,* **in Oecu« menicis Conciliis inviolati perman« serint** »; confirmat ex eadem Societate Iesu *Gabriel Bassas*, e Collegio Imperiali Matritensi, qui Scotum appellat « ..... **apex ac facula orthodoxae doctrinae,** *quin et totius scholasticae Theologiae summa* ». — Immo docet iam laudatus P. H. Hurter ex Universitate Oenipontana, Scoti doctrinam immunem ab omni errore declaratam esse a S. Congregatione: « *Scotus... « tantam adeptus est nominis auctoritatem, ut S. Con« gregatio, Pauli V iussu,* **declaraverit im« munem esse a censuris doctrinam « Scoti,** *edixeritque* **ne quis librorum cen« sor prohibere typis auderet, quod « certo constaret ex Scoto depromptum « esse** ». Nil mirum igitur si Scoti doctrina usi sint concilia Florentinum, Basileense ipsumque Tridentinum, ac tantam gloriam Scotus in Ecclesia adeptus esset ut *Ambrosius Catharinus*, ex Ordine S. Dominici, in Concilio Tridentino Theologus ac postea Episcopus Compsanus, scripserit: « *Cuius*

« (Scoti) *laus quanta sit in Ecclesia et merito*, **soli « prave affecti mente non conspiciunt** ».

149. Ipsi Romani Pontifices Scoti doctrinae institutionem expressis verbis non semel approbarunt, permiserunt ac iusserunt in scholis Ordinis Seraphici: hos inter commemoramus anno 1501 Alexandrum VI, anno 1524 Clementem VII, anno 1568 Pium V, deinde Urbanum VIII, Alexandrum VII, Innocentium XII, Benedictum XIV, Pium VII, Pium IX, et tandem Leonem XIII. Hinc est quod nostris etiam temporibus clarissimus Salvator Talamo, quem nemo ignorat, aperte fassus est: « **L'ortodossia « delle opinioni di Duns Scoto... è « dimostrata chiaramente dalle opere, « non solo di lui,** *ma eziandio di quegli assai « dotti filosofi e teologi che, per tutto il medio evo, « tennero per le opinioni del Dottor Sottile, con quel « calore che sa ogni cultore della storia letteraria « di quell'epoca*, **senza che la Chiesa le « avesse mai riprovate** *in tempi in cui gli « studi si svolgevano all'ombra e sotto la dipendenza « di lei* ». (Cfr. L'aristotelismo della Scolastica, pag. 321).

150. Nec aliter esse poterat, Patres Amplissimi. Scotus enim est *Doctor eximius* de quo legimus in Officio de *Immaculata Conceptione* a Sixto IV die 4 Oct. 1470 adprobato, lect. IV: « **Dominus Noster « Jesus Christus, ad protegendam di- « lectae Matris dignitatem Scotum, « Ordinis Minorum, Doctorem Exi- « mium, ad civitatem illam protinus « destinavit,** *qui, adversariorum fundamentis « argumentisque omnibus inconvincibili sermone con- « futatis ita Conceptionis Dominae innocentiam cla- « rissime comprobavit, quod omnes illi..... subtili- « tatem eius plurimum admirati, obmutescentes in « disputando defecere. Quapropter opinio Minorum « a Parisiensi studio illico approbatur.* **Scotus**

« **vero Doctor Subtilis, propter hoc,** « **appellatus, victor ad altissima verae** « **Sophiae studia remeavit** ». Quare clarissimus Antonius Zeno, patavinus, ita perbelle cecinit:

Multum Deo debet Deipara
Dum a labe servavit;
Multum debet Scoto
Dum servatam detexit;
Immaculatam fecit Deus,
Immaculatam dixit Scotus;
Vindicata est Virgo per Scotum
Scotus gloriosus effulget per Virginem.

Quae cum ita sint, plane non dubitamus fore ut Vos, Amplissimi Patres, clarorum Theologorum conclusiones, ea qua praediti estis sapientia ac prudentia, confirmetis, atque edicatis nihil obstare quominus nobilissima haec Causa ad ulteriora procedat.

Die 31 Maii 1920.

IOANNES ROMAGNOLI Adv.

REVISA

CAROLUS SALOTTI, *S. Cons. Adv.*
S. R. C. Adsessor et S. F. Subpromotor Generalis.

ORDINIS MINORUM

CONFIRMATIONIS CULTUS
AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI

SERVO DEI

IOANNI DUNS SCOTO
Sacerdoti professo Ordinis Minorum

Beato et Sancto nuncupato

SUMMARIUM ADDITIONALE

Litterae declaratoriae de Scriptis Servi Dei Ioannis Duns Scoti.

I.

Litterae Doctoris Attilii Nardecchia, editoris Bibliothecae Historico-Bibliographicae.

R. P. Paolini, Postulatore Generale,
Collegio S. Antonio
Roma.

Desiderava sapere se da me o dai miei collaboratori e corrispondenti nella nuova edizione, a cui attendiamo da più anni, dell'opera

a) —

Bibliotheca Historico-Bibliographica — I. Scriptores Ordinis Minorum, quibus Accessit Syllabus illorum, qui ex eodem ordine pro fide Christi fortiter occubuerunt. Priores atramento, posteriores sanguine Christianam Religionem asseruerunt. Recensuit Fr. Lucas Waddingus — *Editio novissima.*

b) —
Bibliotheca Historico-Bibliographica — II. Supplementum et Castigatio ad Scriptores Trium Ordinum S. Francisci a Waddingo, aliisve descriptos; cum adnotationibus ad syllabum Martyrum Eorumdem Ordinum. Opus posthumum Fr. Io. Hyacinthi Sbaraleae Minor. Conventual. Sac. Theolog. Magistri. — Editio Nova. Variis additamentis et indice scriptorum chronologico locupletata. Pars. I. (Litt. A-H).

ci fosse mai capitata l' indicazione di una qualche opera manoscritta, ancora inedita, del vostro celebre Dottore, Giovanni Duns Scòto, negli studî, ricerche, lettura di opere e cataloghi di manoscritti, come quei della Vaticana, biblioteche di Roma e d' Italia e di altre nazioni, che abbiamo dovuto leggere e compulsare onde rendere più completa e più interessante la nostra pubblicazione.

Per quanto io abbia pensato ripensato, e interrogati anche i miei attivi collaboratori, la posso assicurare che a nessuno di noi, in tutte le nostre ricerche e studî, è mai capitato di conoscere l'esistenza, in qualche luogo, di una qualche opera, ancora inedita del predetto Dottore Sottile.

E ognuno dovrà credere che, per comporre quelle nove fitte colonne in folio massimo del nostro *Addenda* alle opere di Scoto, nel *Supplementum* a partire dalla pag. 64, abbiamo dovuto leggere e compulsare centinaia e centinaia di opere e di volumi.

E se l'avessimo trovata, l'avremmo ben volentieri indicata nell'Addenda della nostra edizione.

Tanto le dovea.

Con la massima stima
Dmo
Dott. Attilio Nardecchia

Roma li 30 agosto 1918.

II.

Litterae R. P. Albani Heysse, Praesidis ac Praefecti Collegii S. Bonaventurae ad Claras Aquas.

12. VIII. 1918.

Très Révérend Père Postulateur Général,

Comme il est de notoriété publique que les TT. RR. PP. Fidèle de Fanna et ses compagnons ont visité de 1870 à 1880 les principales Bibliothèques d'Europe: Rome, Florence, Paris, Oxford, Madrid etc. afin de trouver et d'étudier tous les manuscrits se rapportant aux œuvres de S. Bonaventure, dont ils préparaient une grande édition, Vous avez supposé, T. R. Père, et non sans raison, qu'ils n'ont pas omis de prendre aussi des notes touchant les manuscrits ou œuvres inédites indiquées par les auteurs en général, et en particulier par le P. Mariano Fernandez Garcia, à la page 60 *De vita, scriptis et doctrinis B. Ioannis Duns Scoti*, publiée à Quaracchi en 1910. Après avoir consulté tout ce que les dits Pères nous ont laissé de notes et d'indications, ainsi que celles du P. Ignace Jeiler, ancien Préfet de Quaracchi, et bien connu dans le monde des écrivains, j'ai le plaisir de Vous dire que au sujet des œuvres inédites, indiquées dans l'ouvrage du P. Fernandez ou d'autres auteurs, je n'ai trouvé parmi toutes ces notes *aucun ouvrage donné comme inédit, de sûre attribution au B. J. D. Scot.*

J'ai interrogé aussi les Pères Collaborateurs actuels de notre Collège, pour savoir s'ils connaissaient,

ou si dans leurs recherches ils avaient rencontré quelque autre ouvrage, encore inédit, de notre B. Docteur. Tous ont répondu qu'ils n'en connaissaient aucun. Moi aussi pour ma part, je n'en connais pas d'autres.

Agréez, T. R. P. Postulateur, l'assurance de tout mon devouement fraternel

P. Alban Heysse
Président et Préfet.
du Collège de S. Bonaventure.

L. ✠ S.

III.

R. P. Ludovici Ciganotto, eximii cultoris operum ac doctrinae Ioannis Duns Scoti.

In Dei Nomine. Amen.

Io sottoscritto P. Lodovico Ciganotto dell' Ordine dei Frati Minori, Lettore G.le di Filosofia e di S. Teologia e al presente Guardiano in questo Convento di S. Antonio in Gemona, dietro richiesta del M. R. P. Postulatore G.le delle Cause dei Santi dei Frati Minori, dichiaro, per quanto consta a me, che per molti anni mi sono dedicato in modo speciale agli studi su Duns Scoto, che per ricerche personali e da altri fatte non esistono in archivi e biblioteche pubbliche nè pri-

vate opere inedite che possano con certezza attribuirsi al sumenzionato Duns Scoto.

In fede di che, ecc.

Gemona, Convento di S. Antonio, 9 Dicembre 1919.

P. Lodovico Ciganotto O. F. M.
Lettore G.le di Filos. e di S. Teolog.
Guardiano.

L. ✠ S.

IV.

Doctoris A. G. Little, in rebus franciscanis in Archivis ac Bibliothecis Angliae extantibus optime versati.

Ego infrascriptus testor in Archivis vel Bibliothecis Angliae, nullum existere manuscriptum ineditum, quod Servo Dei Ioanni Duns Scoto certo attribui possit, nec mihi constare huiusmodi manuscripta alibi inveniri...

A. G. Litte

Risborugh Seven Oaks, 21 Die. 1919.

V.

R. P. Deodati Mariae de Basly, in doctrina ac Bibliographia scotistica peritissimi.

Havre, rue des Noyers, 3, (Seine-Inf.) le 23 Décembre 1919.

Interrogé par le T. R. P. Santarelli, postulateur général des Causes O. F. M. sur le point suivant, savoir:

Si — en dehors des ouvrages publiés par Wadding comme étant, au moins par quelques auteurs, attribués au B. Jean Duns Scot, — j'ai eu, de quelque manière, connaissance que d'autres ouvrages existent quelque part qui doivent être tenus comme étant certainement sortis de la plume du Bienheureux susdit, je réponds:

1°) que, pour ma part, je n'ai pas rencontré de tels travaux:

2°) que grâce à une revue dirigée par moi (1902-1912) qui traitait spécialement les doctrines scotistes et qui avait des lecteurs dans les principaux pays de l'Europe et de l'Amérique du Nord et du Sud, l'on savait que je m'intéressais très particulièrement aux travaux de Scot; or nul de mes lecteurs, amis ou adversaires, ne m'a jamais signalé l'existence de tels ouvrages;

3°) que j'ai été et suis encore en relations épistolaires avec des personnages, théologiens, philosophes, historiens, fréquentant les bibliothèques publiques; or nul ne m'a jamais donné à entendre que les ouvrages en question existent quelque part.

En foi de quoi j'ai signé,

moi P. Déodat Marie de Basly
O. F. M.

VI.

R. P. Antonii Cleary Lectoris S. Theologiae ac Bibliothecarii.

Ego infrascriptus sacerdos Provinciae Hiberniae ex mandato R. P. Dominici Enight Custodis Prov. Hiberniae, qui fuit rogatus ab adm. R. P. Antonio M. Santarelli Postulatore Generali Causarum

Sanctorum Ord. Min., investigationem feci circa Manuscripta inedita (forsan asservata in Hibernia) Servi Dei Fr. Ioannis Duns Scoti, et nunc fidem facio ac testor in Archivis vel Bibliothecis Conventus FF. Min. Dublini nullum in quantum scio existere manuscriptum ineditum quod Servo Dei Fr. Ioanni Duns Scoto certo attribui possit, nec mihi constare huiusmodi manuscripta alibi inveniri.

In fidem

Fr. Antonius Cleary O. F. M.

27 Decembris 1919.

VII.

R. P. Mariani Fernandez Garcia, auctoris plurium operum de vita ac doctrina Scoti.

In Dei Nomine. Amen.

Quamvis aliqualem contulerim operam Scriptis Servi Dei B. Ioannis Duns Scoti illustrandis, testor tamen nullum aliud genuinum ipsius scriptum me invenisse aut ab aliis inventum fuisse scivisse, praeter illa a Luca Wadingo edita ac iterum, adiecto Tractatu « De Perfectione Statuum » Scoto tributo, impressa Parisiis apud Vives an. 1891.

Quod si in mea opella *De Vita, Scriptis et Doctrina B. Ioannis Duns Scoti*, pag. 60, scripsi: « Plura alia recensentur Doctoris Subtilis Opera, quae vel iniuria temporum perierunt, vel hominum incuria sub scriniorum iacent pulvere. Sunt autem ex Pitsaeo: Lectura in Genesim lib. I; Commentarii in Evangelia, lib. IV: in Epistolas D. Pauli, lib. plures: Sermones de Sanctis, lib. 1: Sermones

de Tempore, lib. 1: Commentarii imperfecti, lib. 1: et alia plurima. — Ex Bodlej (Biblioth. t. I) Commentarii in Apocalypsim. — Plurima alia Scoto tribuuntur Opera, quae enumerare vacat »; declaro hanc notitiam me desumpsisse ex vulgatis Operibus Lucae Waddingi, ex suis nempe Praefationibus ad Opera Scoti, ex suo Opere « *Scriptores Ordinis Minorum* » et ex Supplemento Hiacynthi Sbaralea ad idem Opus, ex nova Appendice ad Opera Scoti edit. Parisiis 1891, Vol. XXVI, pag. 563, et ex similibus scriptis typis editis; quin, quoad sciam, recentiora studia ac investigationes novam attulerint lucem circa existentiam illorum Scoti Operum quae tamquam inedita eidem tribuuntur.

Haec pro veritate prolata volui.

Romae, ad SS. XL Martyres, die 1 Maii 1920.

Fr. Marianus Fernandez Garcìa
O. F. M.

Pro authenticitate praecedentis subscriptionis P. Mariani Fernandez Garcia.

Fr. Marcellus Martin Plaza
Praeses.

Romae, ex Conventu vulgo di SS. Quaranta, die 1 Maii 1920.

L. ✠ S.

REVISA

CAROLUS SALOTTI *S. Cons. Adv.*

S. R. C. Adsessor et S. F. Subpromotor Generalis.